GASPARIS SCIOPPII
Comitis claræ vallæ
INFAMIA FAMIANI,
cui adjunctum est
ejusdem SCIOPPII
de Styli Historici Virtutibus
ac Vitiis Judicium,
ejusdemque
de Natura Historiæ
& Historici Officio
Diatriba,
edita
cum indice copiosissimo
in Infamiam;
cura & industria
JOHANNIS FABRI
Eloq. Prof. P.

SORÆ,
Sumptibus Petri Hauboldi Bibl.
Literis Georgii Hantschenii.
M DC LVIII.

Perillustris ac Generosiß:
Heros,

Dn. GEORGI ROSENKRANTZI,

Kieldgardi domine, Reg. & Eq. Academiæ hujus Soranæ Præses magnifice,

Fautor Venerande.

OPtimo consilio sapientes Ægyptii scriptores, quod omnia inventa putarent esse a Mercurio, libros suos eidem Mercurio inscripserunt, ut eidem grato animo redderent, qui dedisse existimabatur. Nec aliud sibi nomen præscribere hic liber debuit, quam Tuum, Magnifice Præses, ut ita recto itinere ad Te tenderet hoc,

quod Tuum erat. Quidni enim Tuum dicam, quod diu ſepultum Tuo beneficio productum eſt? Certe quamprimum hi Scioppii labores inter alia Tua Manuſcripta ſe Tibi offerrent, ſtatim fama Viri, in humanioribus literis optime verſati, motus, ex more Tuo & amore erga literas in publicum conſulere æquum duxiſti, eosque averſatus, qui noctuis ſimiles, cum ſolem ferre non poſſunt, tenebras perpetuas eſſe malunt, aliorumque ſcripta, quantum in ſe eſt, ſupprimunt, a me exegiſti, ut mea cura ac induſtria hic ederentur, quæ publicæ luci a Te deſtinata, tenebras diutius non ferrent. Prodeunt ergo, Generoſe Heros, ſi non ſatis ſemper emendati, Tu non ſolum pro

hu-

humanitate Tua dabis veniam, ſed etiam Tua auctoritate apud alios eandem impetrabis: quippe quod ſcias, exemplum, quo uſus ſum, ab inerudita & minus nitida manu profectum eſſe. Cœterum, Magnifice Præſes, gratias Tibi agit ipſe Schioppius, quod famam ejus vindicare ac aſſerere e longinquo fueris dignatus. Gratias Tibi agit Academia Sorana, quod eam illuſtrare volueris. Gratias Tibi agunt alii, quod eorum ſpes, tantum non impudentes, fato, aut invidia nimis diu anxias & ſuſpenſas tam facilis ſuperaris. Gratias Tibi agunt, huncque affectum & amorem Tuum erga publicum, publico amore, & affectu, publicaque admiratione ſuſci-

 piunt.

piunt. Vale bene cum Tuis, Inclyte Heros, in commodum Academiæ ac literarum diu felix vive, & perge bene cupere devoto

Illustris Nominis Tui

Cultori

Dabam e Musæo meo 7. April. An. M DC LVIII.

Johanni Fabro,
in Reg. & Eq. Sor.
Ac. Eloq. P. Reg.

Præ-

Præfatio ad Lectorem.

UNum est, Humaniss. ac benigne Lector, quod circa editionem hanc Te alloquar, ne me tam facilem, quam invitum etiam putes nomen meum alienis laboribus adscribere. Mallem certe alius, ingenue fateor, hæc Scioppii judicia orbi exposuisset, qui vel genium ejus magis haberet cognitum, vel nitidiore ac puriore instructus erat exemplo, vel qui hanc sibi operam vendicare majore jure poterat, quo etiam invito forte hæc claustra fregerunt. Omnino hunc laborem cum livore ac judicandi quadam libidine conjunctum subterfugere animus erat; nisi perillustris & Magnifici Herois DN. GEORGII ROSENKRANTZII *voluntati (quæ instar legis istos difficultatum*

insul-

insultus ita expugnavit, ut me-ipsum videar deseruisse.) vel hac in parte reluctari fuisset religio: maxime cum & hæ paginæ multa ad Latinæ orationis elegantiam, & candorem, multa (licet & illa sinistram forte experientur censuram) ad historiam illustrandam oppido necessaria & utilia suppeditent. Celebris eruditissimi & diligentissimi, dum viveret, Scioppii, Comitis Claravallensis fama nemini ignota esse potest. Versantur in omnium ore varii ejus editi libri, plures avaris aliorum judiciis adhuc desiderantur, quos liberali manu promere posset Consultissimus ac Clariss. Scioppii heres, Dn. D. Perucci, Amicus honorãdus, nisi eos incredibili quadã patientia tamdiu detineret, multisq; maximam ex iis invideret volu-

pta-

ptatem, quã multiplex illa & varia Scioppii doctrina afferre poterat. Ut autem de ingenio & reliqua eruditionis parte nil dicam, solus videbatur exhaurire voluisse Latinæ lingvæ elegantiam & decus, qui & irruentem ejus dictionis barbariem propellere, tanto studio allaborabat, ut asperioribus jocis, horridis facetiis, & quasi Cynica quadam detrahendi omnes licentia censoris immane quantum rigidi & austeri nomen apud multos adhuc hodie obtineat, quibus bilem movet, quod alieni nominis obtrectatione famam quasi aucupans non satis benigne cũ Thuano, & aliis, qui optime de literis ac historia meriti sunt, agat. Quam tamen & ipse (in hac de officio historici diatribe) abesse ab iis proterviã vult, qui virtuti sacramentum

dixe-

dixerũt, ac humanitati, ejusq; ſtudiis cupiunt litare. Neq; igitur ſe extra omnẽ judiciorum aleam ita ponit, ut quicquid dixit, id continuo Delphis reſponſũ credere alii debeant; quin Minerval ei promittit, qui eandem ſibi operam, quam is aliis, navaverit. Hæc eo ſpectant, Candide lector, ut ſcias me nec Thuani, nec Scaligeri, nec aliorum, neque etiam Scioppii defenſionem heic in me ſuſcipere, quo rectius de me, & de hoc libro e tenebris eruto, lucemque aſpicere juſſo ſentire queas. Si enim elegantior & magis emendatus ex tuo prodire Muſæo potuiſſet, non miror, tam quod exemplar, quo uſus ſum, adeo fuerit inelegans, & in mentem ſæpe auctoris iniqvum, ut nonnulla hinc hæſiſſe vulnera non diffitear, quibus mederi vel

non

non potui: nam luctari in tenebris nec fortissimos athletas juvat; vel ideo nolui, ne vis forte fieret ipsis Scioppii vocibus, quarum ipse valde fuit religiosus: quam quod & publica me impedierint negotia, ut eandem non semper potuerim adhibere diligentiam. Si autem in binis istis Infamiæ Famiani adjectis discursibus rariores irrepserũt maculæ, partem ejus beneficii debes Consultissimo Dn. Petro Scavenio, J.U.D. & Professori, Amico nostro veteri, qui sua manu eosdem tractatus elegantius scriptos facilis communicavit. Labore isto circa Indicem Infamiæ Famiani adjectum potuissem supersedere, nisi Tuo commodo intentus, ista Te liberare molestia cogitassem. Quæ cum Tibi non poterunt omnino displicere, ami-

ce

ce lector, spero Te non iniquiorem nobis futurum, quam esse in conviviis sustinemus. Quamvis enim ibi (Plinii verba sunt) a plerisque cibis singuli temperemus; totam tamen cœnam laudare solemus, nec ea, quæ stomachus noster recusat adire, adimunt gratiam illis, quibus capitur. Vale benigne Lector, & æqvum Te præbe, ne vel in Tuã modestiam, vel in hominem occupatum injurius esse videaris.

Errores typographicos emendabit benevolus ipse lector.

GASPA-

GASPARIS SCIOPPII

INFAMIA FAMIANI,

Hoc est,

Animadversiones Philologicæ in Famiani Stradæ Decadem Primam de bello Belgico.

M*Ars in acie ac sub illa campi Domina.*] Fortunam Famianus significat, cui militarium eventuum tribuit arbitrium; quia scilicet à Tullio Dominam rerum dictam sciebat. Est autem novitium dicere Campum: quo vocabulo navales pugnas, urbium obsidiones, multaque alia militaria, nequaquam significari satis

constat. Ubi autem Cicero, Fortem Campi Dominam dicit, de Campo Martio, & Comitiis loquitur.

Admirationi Venerationique immixtus stimulos tibi subdi experturus es.] Novitatem habet, immisceri rebus illis, quæ quodammodo animum afficiunt.

Bellicas laudes è multis retro ætatibus collegit ac miscuit avus tuus.] Similiter lib. 1. pag. 5. *Quem sequerer ex omni retro antiquitate, vix habui.*] Retro hac significatione, pro, anteactis ætatibus, aureâ & argenteâ ætate usurpatum nusquam invenitur. Qvid autem sibi vult, miscere bellicas laudes?

Adornando indesinenter operi moram traxi.] Defendet Famianus vocabulum civitate Romanâ donatum ab Urbano VIII. Pontifice non minus in literis, quàm Romæ, regnante. Is enim eo usus est in Hymno, cui principium est: Te Deum laudamus, quem ille Jambicis versibus reddidit. Sed etiam tantò ante Gregorius Magnus

gnus eo uſus invenitur l. 4. Epiſt. 40. Verum neſcis Famiane: Pontifex civitatem dare poteſt hominibus, non verbis. Itaque quamquam idem Papa Gregorius indignum vehementer exiſtimat, Verba cœleſtis oraculi reſtringi ſub regulis Donati, Diſtinct. 38. c. 13. ſibique hoc ſumpſerit, ut lib. 8. epiſt. 40. extrinſecam ſubjectorum utilitatem diceret: quia tamen Chriſtus, ne Grammaticorum quidem leges venit ſolvere, nec unumquemque in arte ſua ſapientem eſſe, & ſtultis ſive ignorantibus dominari negat. Proverb. 11, 19. & 17, 2. Eccl. 38, 35. Grammaticus Papam diſcere à ſe jubet, Extrinſecus eſſe adverbium, à Secus; ut ſit, quod vulgo dicunt, ab extra; ſicut, Intrinſecus, ab intra, vel, intus; & utrinqueſecus, ab utraque parte; Undiqueſecus, omni ex parte: Sicut & pag. 287. *Archangeli opem indeſinenter implorans.*] Quo autore, mora trahi dicatur, neſcio: ſed, Indeſinenter, mini-

me Latinum esse scio : etsi semitarii, ac de trivio literatores, ejus sibi fundum & auctorem faciant mendosum Varronis locum. Latinum est, continenter, assiduè, perpetuò, labore nullam temporis partem intermisso, uno laboris tenore, perpetuato labore, sine intermissione, vel respiratione, aut intervallo, nulla laboris intercapedine, aut pausa. Sed fortasse defendet Famianus vocabulum civitate &c. ut supra.

Peculiarium rerum expositio futura est jucundior legentibus.] Quid autem sunt res peculiares, si non addas, cujus illæ fuerint ? Peculiaris enim significationem habet proprietatis qs: de peculio alicujus, in quo nemo alius quisquam juris habet. Quintiliani sententia est : Paululum impendamus huic quoque quæstioni peculiaris operæ. Cui simile hoc Tullii : Reliqua quę conteximus, aliud quoddam separatum volumen expectant. Rectius dixisset, res Singulares, qua-

rum partes ſingulatim & diſtinctè enarrantur, quomódo Cicero, mentes ſingulares dixit, pro, ſingulorum.

Jugurthini belli proœmium longè gratuitoque productum.] Gratis & gratuito fieri dicitur, cujus facti nullum eſt pretium, aut merces. Vulgò minus Latinè uſurpatur, pro, ſine idonea cauſa.

Exercitam habeat in hac Belgica Schola militiam, quam in omnes partes expediat.] Nove dicitur Militia, pro, militum copia: ſicut & pag. 298. Bellum geri adverſus militiam ſuam.

Quorum arma hebeſcere otio, quàm tractatione ſplendeſcere ſatius foret.] Hebeſcere, & ſplendeſcere, imperitè inter ſe opponuntur: cum haud repugnet, ſive, ut Jeſuitice loquar, non implicet, hebetata & obtuſa ſplendere, ſimiliterque ſplendentia hebeſcere. Arma etiam magis tractata, quam feriata, obtunduntur, nec raro nitorem ex uſu quotidiano amittunt, ſordesque colligunt. Permirum porrò vi-

detur, quod primum ſententiæ tam myſticæ ac ſuperciliosæ verbum majuſculis literis expreſſum non apparet! ſcires operas typographicas oſcitaſſe, aut alias res egiſſe.

Iras ab hac cote (religionum diſſidio) *pugnacius armamus, odiaque exinde animoſius exercemus.*] A cote iræ acuuntur, non armantur, neque continuo pugnax eſt, qui armatur, etſi animoſe id fiat. Rectius multo fuerat, animoſius armamus; & pugnacius exercemus. Exinde ſignificat ab eo tempore, aut loco; Stradæ verò ab ea cauſa, quod eſt Neotericum: cui non multum abſimile eſt, Exinceps, in quo delicias facit Jacobus Tirimus Jeſuita, commentario in S. Biblia etſi Patroclianis Pellis multò fuerat dignius.

Nusquam diuturnioribus cladibus invicem plus ſangvinis datum hauſtumque.] Neſcio quo auctore, ſatis locuplete, vel haurire ſangvinem, dicatur. In Senecæ quidem Thyceſte lego: Quis

vos

vos exagitat furor, alternum dare ſangvinem? Simul tamen ipſi credo Senecæ, jam tum ætate ipſius, Romæ deſiſſe homines Latine loqui; ex quo ſcilicet Breviarium dicere cæperunt (Epiſt. 39.) quæ haud ſcio an Maffejo cauſa fuerit, ut ſibi Breviarium curaret Græcè convertendum, ne qvotidiana Latini lectione puritatem ſermonis infuſcaret, nihilque fraterna Monachorum ſtribligine dictio ipſius intereſſet.

Veritatem hiſtoriæ nulla res magis infringit quam Scriptoris affectus.] Affectus pro cupiditate, gratia, ſtudio, odio, aut quovis vitioſo animi motu, ſeu perturbatione, à Cicerone, aliisque ætatis aureæ ſcriptoribus nequaquam uſurpatur. Cic. 4. Tuſc. Affectum animi dicit affectionem, modum, ſtatum, habitum, ſeu, conſtitutionem ſignificans: quo exemplo Celſus corporis affectus dicit, quibus corpus ſic, vel aliter, afficitur, Præfat, lib. I. Color mutatur metu, do-

lere, inedia, cruditate, lassitudine & mille aliis affectibus. Afficere enim est, sic vel aliter, affectum reddere, ut quid ita se habeat. Livius lib. 33. Oratione sua ita affecerat animos, ut omnia quæ in eos decreta erant, tollerent. Cic. Varie sum affectus tuis literis; quod est, varie me literæ tuę affecerunt: quomodo idem alibi loquitur; cujus quoque est: Non affici à gratia, à voluptate. Posteriores, Affectus voce usi sunt, ad significandum motum animi vitiosum, prę-ter rationem, sive boni, sive mali alicujus specie commotum. Gallio apud Senecam lib. 1. Controvers. 1. Quid si me flere vetes, quum vidi hominem calamitosum? quid si vetes propter aliquod honestum factum periclitanti favere? Affectus nostri in nostra potestate non sunt. Et Portius Latro ibidem: Non feci ratione, affectu victus sum. Curt. lib. 7. Ad omnes affectus impetu rapimur, vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur.

Fidei

Fidei rerum ab eo pertimescendum est, qui partibus implicitus ægre odium & amorem exuit.] Non tam fidei rerum, quàm sibi, quisquis a tali metuit, qui sit partibus infestus & aliquid de alterutra parte judicet, quomodo Tullius eum describit, quem vulgo Partialem, vel Appassionatum dicunt; cui apud Livium lib. 40. opponitur Medius, nec in alterius favorem inclinatus, apud Valerium Max. lib. 9. c. 2. quieti animi civis: qualem Ovidius Metam. 5. memorat, Expertem frustra belli, & neutra arma secutum. De utroque genere sunt ista quoque Ciceronis: Testes, qui aut sine ullo studio dicunt, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis, sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicare: Testes cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis anteferre non debetis. Ne quod minus moderatè positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum videatur.

Quid fictum quod pretio corruptum, quid ſpe aut metu depravatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitiis profectum viderem.

Arcanorum cognitio ſperari non poterat à ſepoſitæ vitæ inſtituto.] Quum, vitam ponere, ſit morte occumbere; non video, quomodo vita ſepoſita dicatur, quæ poſtea non ſit: Minus tamen rationis habet Jeſuitarum vitam prædicare ſepoſitam, ac procul à civium commercio remotam, cum eam, præ omnibus religioſis, actuoſam ac negotioſam eſſe, adeoque ingenia ſecularibus negotiis idonea poſtulare glorientur. Ita quippe ex Svarezzii ſui ſententia diligentes Jeſuitæ ſcribunt in Juſta Defenſione pag. 203. Societas ad eum finem inſtituta eſt, ut TOTAM ſe proximorum ſpirituali ſaluti impendat. Et Pater Mariani in libello de Societatis Regimine cap. 5. Novitii Societatis educantur, ut inter homines militares, hæreticos, & gentiles vivant,

vivant, perque fora, diverſoria, & hoſpitalia volitent. P. Jacobus Keller in cavea Turturis cap. 12. Provincialis Societatis, eos, qui in Societatem admitti volunt, diſcutiat, & primo ſi ſint apti. Prudentium virorum ſenſus eſt, qui ſecularibus negotiis apti non ſunt, neque Religioni, vel Societati, multum conferre poſſe. Hinc porro contagioſiſſimus ſecularitatis & Aulicismi morbus Societatem invaſit, velut ipſe Societatis Patriarcha Claudius Aquaviva in libro ſuo teſtatur, quem Induſtrias de curandis Societatis morbis inſcripſit & Romæ edidit, cujus pag. 97. c. 5. verba ſunt: Secularitas & Aulicismus, inſinuans ſe in familiaritates & gratiam externorum, morbus eſt in Societate periculoſus, & iſtis, qui eam patiuntur, & Nobis (ſuperioribus Societatis) fere neſcientibus paulatim ſubintrat, ſpecie quidem & fallaci prætextu lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magna-

tes, conciliandi ad Divinum obsequium, hujusmodi homines societati, juvandi proximos &c. Sed REVERA quærimus interdum nos ipsos, & paulatim ad secularia deflectimus; id est, sæculi amorem, & secularium rerum curam, caritati Dei ac proximorum saluti anteponimus. En tibi Sepositam Jesuitarum vitam! quam idem Aquaviva in sua instructione pro superioribus societatis, eodem anno, Romæ typis vulgata cap. 2. pag. 11. sic describit: Est & alia malorum radix longe periculosissima, eoque periculosior, quo minus vulgo noxia censeri solet (id est, à plerisque Jesuitarum pro peccato non habetur) rerum scilicet externarum occupatio (πολυπραγμοσύνη) in quam superiores UT PLURIMUM ac variis nominibus SUPRA MODUM effundi solent. Sunt enim qui natutæ quadam propensione ad distractiones proni non solum oblatas occasiones cupide arripiunt, ut operam

ram suam (in secularibus & aulicis negotiis) impendant, sed eas ipsimet ultrò quærunt, & nasci quodammodo ac sua crescere faciunt, Alii per speciem proximos lucrifaciendi multis sese visitationibus implicant; iisque non modò non necessariis, sed parùm etiam utilibus: atque in his ita versantur, ut à secularium moribus abscedant, minimumque inter ipsos & Aulicos inter sit. Qui plura hujus argumenti nosse expedit, Fortunii Galindi disputationem de causis publici erga Jesvitas odii, consulat licebit, quę libello Arcanorum societatis inserta est, cujus pag. 52. hæc Johannis Sarisbariensis verba, quingentis abhinc annis scripta in Jesvitas conferantur: Rumusculos inquirunt, tumultibus gaudent, dissidentium secreta explorāt & eadem nunc ad amicos perferunt, nunc ad hostes: utrisque grati. (Hispanis non magis quam Gallis) utrisque perfidi: magis tamen ad ista videntur idonei (ad secre-

ſecrata horum illis enuncianda) qui ab imagine Religionis minus habentur ſuſpecti. Quid in Pallatio, quid in foro, quid in agris expediat, ſoli creduntur noſſe, quia univerſa hæc præ cæteris videntur curare, qui iſtis jugiter immiſcentur. Eos qui venia indigent ſuis aggregant SOCIETATIBUS, Confeſſiones excipiunt, ligare præſumunt & ſolvere. Potentiores tamen & ditiores fænore vel mercede recepta facilius exonerant, & peccatis alienis humeros ſupponentes jubent abire in tunicas & veſtes & pullas quicquid illi ſe commiſiſſe deplorant. Conſentiunt ergò moribus iniquis & popularem provocantes affectionem aſſentationibus obturant aures hominum, ne increpationes audiant Prælatorum. Si eis obloqueris, Religionis inimicus & veritatis diceris impugnator. Circumeunt Eccleſias COLLEGIORUM ſuorum merita præconantur, abolitiones criminum (ſive Indulgen-

gentias) portant. Ecce omnes iſti ſua quęrunt,& JESUS qui prædicatur in publico aut omnino abeſt, aut in abditis latet. Itaque JEsu quidem vita ſic eſt ſepoſita, Jesvitarum v. expoſita omniumque digito notabilis: de qua Moraniæ Provincialis anno 1631. epiſtola Viennani data totidem verbis falſus fuerat: Venit hora, in qua arbitratur QUISQUE obſequium ſe præſtare DEO, cum de Jesvitas mala OMNIA ſuſpicatur & ſentit & loquitur. Nec Religioſus pæne ullus, nec Politicus (ſeu ſecularis Catholicus) nec Hæreticus Jesvitas aut religioſe vivere aut veritatem loqui exiſtimat. Nunc Famiane & quære cui os ſublinas, quæque tam magnifica fide de tua prædicas, ea perſvadeas: qſ. v. obſcurum ſit quid Farneſia domus Jesvitis dederit, quid illi vel Patris ſui Ignatij exemplo Farneſus debere ſe cenſeant.

Blandiri & aſſentari ſeculum appellant] Iſta Taciti verba pro ſuis venditare

Faris

Faris eſt non Imitatoris,&ſi nec imitationem peſſimi aut ſaltem non optimi (Ciceronis quippe, Cæſaris, Nepotis, Livij, Trogi & Curtij longè diſſimillimi) ſtoliditatis abſolvere poterit, qui minori Plinio, Taciti amico &familiari credendum putat, ſtultiſſimum eſſe cenſenti, ad imitandum non optima quæque proponere.

Decet non minus ſcriptorem quam authorem rerum à bonis precationibus initia capere] At non decet tam vetulum literatorem adhuc neſcire non Authorem ſed Auctorem ſcribi oportere, cum Augere etiam ſignificarit procreare Lucret. lib. 5. ℣. 323. Nam quodcunque alias ex ſe res auget alitque, pro quo paulum ſupra dixerint, quod procreat ex ſe omnia. Et lib. 2. ℣. 984. Et ridere poteſt & non ridentibus auctus, quod mox interpretatur oriundus Liv. lib. 27. In agrum bello captum miſſos colonos ſtirpis augendæ cauſa. Prudent. lib. 1. contra Symmach. Quis te ſemi-

mideam jactant auctoribus auctam. Deinde Scriptorem rerum ab Auctore distingvit, cum eadem res utroque vocabulo significari soleat. Cicero: Polybius bonus auctor inprimis scribit: Te rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Liv. lib. 30. Ita major pars auctores sunt, pro, ita scribunt. Hunc Regem in Triumpho ductum Polybius haud quaqaum spernendus auctor tradit lib. 37. Ubi captus fuerit parùm inter auctores constat.

Prostratum in genua osculo terram libasse] Flectere & submittere genua, procumbere in genua, excipere se in genua, corpus excipere popiitibus, niti genibus Latine dicitur, non a. prosternere se in genua, nec enim stratus est & jacet, quem poplites sustinent. Cæsaris est lib. 3. Civil. Projecti ad terram passis palmis flentes ab eo petierunt salutem. Hygini a. Astron. 192. Herculem inopia armorum defessum se ingenuculasse

mul-

multis jam vulneribus acceptis. Id autem ut alia Hygini multa multa, plebejum ſapit.

Quem ſibi reditum ex immenſis opibus tantummodo ſepoſuerat.] Nequaquam ſepoſuerat, quod in manu nondum habebat. Exceperat quidem pactusque ſibi fuerat centum millia annui reditus.

Decuit imaginem non exponi panno convelatam.] Nullum fuit ejus rei periculum, cum quod velatum eſt nequeat exponi, quod eſt in conſpectu poni, oculisque ſubjici: Seneca; Frontem villæ vidi ejusque expoſita, quæ oſtendit etiam tranſeuntibus. Idem: Iracundi videntur ſimplices quia expoſiti ſunt: quos quidem non ſimplices dixerim ſed incautos. Juvenal. Cui non ſit publica vena. Qui nihil expoſitum ſoleat deducere.

Citris limoniisque ad feneſtras usque flores ac poma porrigentibus.] Limoniam Plinius herbam, anemones ſpeciem memorat, nusquam v. arboris poma porrigentis meminit. *Na-*

Natura facile redit ad ſtatum ſtaturamque ſuam, ſi quæ illam inflabat ac diſtrahebat ambitio, detumeſcat.] Quod ad ſtaturam ſuam redit potius magno auctu excreviſſe quàm diſtractum fuiſſe oportet, nec tumore tam diſtrahuntur corpora, quàm inflantur.

Aurum quod ingenti copia Hiſpana claſſis ab India avexit.] Latinè atque aliquanto elegantius dixiſſet: Cujus ingentem vim in Hiſpaniam Cataplus Indicus apportavit. Non enim apud Martialem modo legimus: cum tibi Niliacus portat Cryſtalla Cataplus: ſed etiam in extrema Rabiniani Tullij: Cataplus ille Puteolanus quod eſt Italis la flotta, la Caranana d' Alleſſandria, d' India. Aliquid in magna copia afferre vel habere, ſordidum eſt plebemque olet. Lucret. Extremo lib. 6. Agricolarum copia conveniens ex omni morbida parte, pro quo Famianus aliquis diceret: Agricolæ undique in magna copia vel magno numero convenientes.

Sed

Sed aliter longè catuli olent, aliter ſues: ncc niſi qui obeſioris ſit naris illo Libiano imponi ſibi patietur: Hoſtes multitudine ingenti venerunt. Gaudet ſc. Livius ſyllepſibus, qualis illa eſt alibi à me indicata: Multitudo pars procurrit in vias, pars in ædium veſtibulis ſtat. Valerius Antius apud Arnob. lib. 5. Rex pocula non parvi numeri vino complevit.

Uno circumpedum contentus.] Pudendus ſolœciſmus perinde ac ſi dicas Apedem ſuum vocavit, apedi ſuo innuit, pro homini ſuo vel hominem à pedibus. Similiter enim Circum pedes homines Cicero dixit Verrin. 3. Sed Famiano Magiſter ſuus Calepinus impoſuit, ut Circumpedes unam vocem eſſe, tertiaque ſyllaba correpta efferri crederet. En cor Zenodoti, En jecur Cratetis.

Carolus V. *in cœnobio horologia fabricabatur, quorum videlicet rotas multo, quam Fortunæ facilius temperabat.*] Hæc

enim-

enimverò pædagogici judicij laſcinia vix in ætate decentius luxuriante ferri poteſt, ut mittam de impietate dicere, cujus ſe alligat, imperia & regna non tam ratione ac virtute Deiq; auxilio, quam cæcæ illius Fortunæ inconſtantia & temeritate gubernari ſignificans: tametſi Fortunam arte juvari poſſe pag. 244. exemplo docet.

Morbus ſuprema interminari videbatur.] Non ita meliorum ætatum auctores locuti inveniuntur. Aliud enim eſt in illo Virgilij: Cineri ingrato ſuprema ferebant. Exſequialia quippe, ſive ut Ovidius ait, feralia dona, ibi ſignificabantur.

Subſecundariis temporibus.] Cujus tandem judicii eſt ferreæ ætatis ſcriptorem Agellium, non nauci hominem imitari malle, quàm cum Tullio aliisque ejus æqualibus ſubſecuta dicere?

Prima illi cura fuit cœleſti epulo quanquam non jejunus animam paſcere.] Immanis

manis ſolæciſmus vel puero erubeſcendus. Quis enim non videt jejuno aut jejunum dici debuiſſe? Ego quidem decimo ætatis anno non minimo natium periculo dixiſſem: Non libet mihi jejunus bibere. Tametſi enim nullus imbutus eram Grammaticorum præceptis, ex quotidiano tamen loquendi ſcribendique exercitio ſatis jam intelligebam utrovis modo Latine dici: Non mihi libet jejuno & jejunum bibere. Hoc tamen flos ille ſocietatis ſvadæque medulla Famianus cum tot convotis & collegis ſuis, orbis terrarum magiſtris, nunc de me primum diſcit.

Plexo è funiculis tormento exigere à ſe anteacta vitæ pœnas cœpit.] Nimis atrox ac pene Tragicum eſt pro Flagello Tormentum dicere, quod ego in Monaſterio Laurentiano manibus tractari & Caroli V. ſangvine, ut ajebant, adhuc oblitum vidi. Romæ tamen quotannis quincta majoris hebdomadæ feria complures inveniuntur flagrio-

flagriones & plagipatidæ, sive plagigera hominum genera (ut Plautus loquitur) qui tribus solis denariis conduci possunt, ut in supplicatione publica seu processione longe fortiores Carolo viros se præbeant in tergo flagris concidendo, ac decies tanto plus sangvinis faciant. Horum tamen neminem unquam audias, qui tormentum ipse sibi injunxisse videatur, aut eo pacto quicquam sibi culparum expiatum putet, quos ut nihil in eo falli arbitror, ita ipsum quoque Carolum longè ab ea fatuitate abfuisse statuo, ut pœnas vitę potius anteactæ, quam parum innocenter actæ à se velit exigere.

Quos Caroli funiculos inter Austriaca monumenta pietatis asservari fama est.] Vereor ne Austriaci Principes pietatem suam frigidè laudatam putent, cum flagellum illud adhuc Caroli notatum prædicetur: quod argumento est, id ipsos jam octoginta annos ferreatum de parietibus clavo pependisse,

disse, nec vel filii ejus vel nepotis ac pronepotum dorso molestiæ multum creasse, qui tamen si fecerunt quod Romæ solent, ut argento conducerent alios, qui suam vicem probè loris ipsi se operent & tax, tax tergo suo facerent. Pietatis quod satis sit possidere meritò censentur; Prudentiæ autem multo majorem commendationem auferre debent, quippe qui Davidem Regem sanctissimū imitari sciant, quem etsi prurienti dorso, vapulandi desiderium nonnunquam incessit. (Ego in flagella paratus sum inquit Psal. 37.) tandem tamen ratione diligentius subducta. Quæ, ait, utilitas in sangvine meo? Palm. 29. Nec tamen continuo sterilia censeri debent pœnitentiæ opera, cum Psalmites per fidem & caritatem in vite Christo manentes fructum multum ferant, Joh. 15. Longe aliis tamen funiculis plexum est Flagellum, quo sibi Deus a Regibus pro culpis & offensis satisfieri postulat. Id quod nos

Sacræ literę Ezechiæ Regis exemplo docent, qui cum eſſet cantor probus, & pſalmos ſuos cantaret cunctis diebus vitæ ſuæ in domo Domini (Eſa. 38. cap.) Cæterum regali officio ſocordius fungeretur (nam Sacerdotes ejus in mercede docebant, Prophetę, quibusque Monachi parum religioſi & Jeſuitę ſucceſſerunt, in pecunia divinabant, concupiſcebant agros alienos & violenter tollebant & rapiebant domos, & calumniabantur virum, & hæreditatem ejus deſuper tunicam, pallium ei auferentes prædicabant pacem, ſi quis dediſſet in ore ipſorum quippiam; aliter autem ſignificabant ſuper eum prælium. Principes & Palatini proceres abominabantur judicium & omnia recta pervertebant, habebant odio bonum & diligebant malum, ædificabant Sion in ſangvinibus & Jeruſalem in iniquitate, comedebant carnem populi & pellem eorum deſuper excoriabant. Inter hæc tamen omnia ſu-

per Dominum requieſcebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio noſtrum? Itaque non venient ſuper nos mala. quo exemplo Catholici noſtri Reges, Principes, Sacerdotes & Prophetæ cum eadem ipſa palam factitent, Deo nihilominus freti ſibi blandiuntur ac navigare videntur, quoniam Deus ſit in medio ipſorum, & apud ſe cultus Divinus vigeat) a Michæa & Eſaia, Deo plenis, ingenti convicio verberatus ac diriſſimo minarum genere ſic conterritus: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, Principibus furum ſociis, & vindicabor de inimicis meis. Diſperdam ab Iſrael caput & caudam in die una. Longævus & honorabilis (Rex cum Senatu ſuo) ipſe eſt caput, & Propheta docens mendacium (Theologus & nullius conſcientiæ conſcientiarius ſeu Confeſſarius) ipſe eſt Cauda: Et erunt qui beatificant (ſive qui a peccatis abſolvunt veniaque proſequuntur) populum iſtum & qui beatificantur

tur præcipitati (Esai. 2. & 9. Causa vestra Sion sive Templum qs. ager arabitur & Jerusalem qs. acervus lapidum erit. (Mich. 3.) Ezechias igitur tutissimum ratus, receptum ad pœnitendum consilium cæpit sui ipsius corporis vexandi, Deoque pro peccatis non uno modo satisfaciendi, de quo sic ad Prophetam refert: Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? numquid placari potest Dominus in millibus arietum aut in multis millibus hircorum pingvium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Hoc erat haud absimile Caroli V. consilio de petenda solitudine, ibi Deo de corio suo satisfacturi. Cui si contigisset Esaias aliquis aut Michæas, repletus fortitudine Spiritus Domini, judicio & virtute ad annunciandum ei scelus suum (Mich. 3.) nec eum beatifi-

cassent caudæ illæ, quibus nox pro visione erat, & tenebræ pro divinatione, hujusmodi consilio ab errore revocari potuisset. Indicabo tibi o homo, quid sit bonum (ad expianda anteactæ vitæ peccata) & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Domino Deo tuo, quod ipsum Dominus populi sui Principes aliter sic monet Esa. 1. Lavamini, mundi estote (hoc scilicet modo, qui subtexitur) Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (de occupanda totius Europæ Monarchia) quiescite agere perverse, discite bene facere, (quod vestri nempe est muneris, ne vos Principes Clericorum aut Monachorum partes invadatis, quo nihil fieri potest perversius) quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Si peccata vestra fuerint qs. coccineum, qs. nix dealbabuntur. Hoc ergo tri-

plici

plici funiculo *Justitiæ*, *Misericordiæ & Solicitudinis*, intortum est flagellum, quo Principes Deus peccata sua expiare jubet, quod illi si missum faciant, suamque voluntatem divinæ præferentes malint Sacerdotes illos Baal imitari, qui juxta ritum suum cultris & lanceolis se incidebant, donec sangvine perfunderentur (3. Reg. 18.) sibi eodem Esaiæ loco dictum a Deo meminerint. Sangvinem hircorum nolui, cum veniretis in conspectum meum, (scutica vel horribili flagello dextras obarmati ac proprio cruenti sangvine) quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sangvine plenæ sunt. Hircos Spiritus Sanctus solens appellat Principes

terræ, partim propter fœtores superbiæ in altum ascendentis, Deiq; nares spurcantis (Ps. 73.) Superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper. Joel. 2. Ascendit fœtor ejus quia superbe egit: partim propter protervia & insolentiam, qua viribus minores arietare & pascuis fundisque suis expellere consveverunt. Ezech. 34. Nonne satis erat vobis o hirci cornuti, pascua bona depasci? Lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras Esa. 14. Omnes Hirci terrę (si est in Hebræo) surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum, qui nempe dederunt terrorem suum in terra viventiũ, ac propterea in lacũ inferni descenderunt, ut est Ezech. 32. ubi inter Hircos & Principes in medio inferni positos non tantũ Reges Idumæi (sive Hæretici quorum Idumæi typus erant) sed etiam Thu-

bal

bal numerantur, quos Reges Hiſpanorum eſſe D. Jacobus Tirinus ex Hieronymo & Lirano Ezech.27.13. interpretatur. Si ergo Hircum oluit Caroli V.ambitio, & ſacra ac flagrans imperii in omnem Europam familiæ ſuæ conficiendi cupiditas. Si etiam potentiæ ſuæ cornibus poſuit terrorem ſuum in terra viventium,& alios ſive ipſe paſcuis ſuis ejecit, ſive a majoribus ſuis, quorum hæreditatem creverat,nullo more vel jure exactos ſummovit, reditaque incluſit (velut ſibi uſu veniſſe Sereniſſ. Mantuæ ac Niverniæ Duces libello Pariſiis edito quæritantur,ipſoque Chriſtianiſſimi Regis teſtimonio luculente docent) næ ille abunde habuit, cur flagris in tergum ſuum ſævire ſuperſederet, cum hircorum ſangvinem Deus ſe nolle, manusque ſive proprio ipſorum, ſive alieno ſangvine inquinatas averſari teſtetur. Verbis proinde Pſ.72. uti jure potuit: Sine cauſa juſtificavi cor meum, & fui fla-

gellatus omni die, & castigatio mea in matutinis. Certe nisi aliter Deo ante excessum suum satis fecit (quod tamen abominor, eumque immortali ævo summa cum pace potiri magnopere cupio) magno tandem malo suo oraculi illius fidem impleverit necesse est. Eccl. 20. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere, quo docemur, sero ac frustra suam ipsos stultitiam accusaturos, qui cives aliquando fiant in civitate cœlitum, ad eum pœnæ potius quam Pœnitentiæ & vexationis seu Mortificationis, quam vocant, non Dilectionis via grassantur ignem accendentes, nihilo tamen ea causa minus infernum in altera vita inventuri. Ut enim ait Apostolus 1. Cor. 15. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas (quod multo majus est, quam imperio & regno se abdicare & centena aureorum millia annui vectigalis sibi pacisci: quod Carolum V. fecisse Famianus fatetur)

& si

& si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Adeo omnia opera nostra caritate condiri, Deique palato conciliari necesse est. Cujus condimenti qui obliviscuntur, ipsique sibi molestiarum multarum flammas in hoc seculo accendunt, in perpetuis inferorum cruciatibus ac tormentis cum divite illo epulone cubandum sibi fore hinc discant licet quod Esai. 50. scriptum est: Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui, qui ambulat in tenebris & non est lumen ei? (nec ipse sacras literas intelligit, adeoque aliquem Dei servum eas interpretantem libenter audit,) speret in nomine Domini & non nitatur super Deum suum, (spem omnem in Christi passione collocans semperque illud animo volvens: Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, langvores nostros ipse tulit & dolores nostros

ipſe portavit, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & livore ejus ſanati ſumus Eſai. 53. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis (non dilectionis; ſed vexationis) ambulate in lumine ignis veſtri, & in flãmis quas ſuccendiſtis. De manu mea factum eſt hoc vobis (ut duplices animas duplici luatis ſupplicio) in doloribus cubabitis.

Adeo ut aliorum exempla & ſui victor animus potuere.] Pro potentia ſeu efficacia fuere, quomodo melioris notæ auctores locutos eſſe non commemini. Nec enim paulo aliud eſt illud Ciceronis 2. Tuſc. Nihil dolet niſi pes, poſſunt oculi, poteſt caput, latera, pulmones poſſunt omnia, id eſt, ſui ſunt potentia ad munus fungendum. Similiter multum diſcrepat Poſſe pro poſſibile, fas & conceſſum eſſe, velut in iſtis Ciceronis: ſit jam finis plorandi, ſi omnino poteſt, pro pote eſt. Quoad ejus facere potero, pro quoad potis ero, ad facere ejus, ſeu

factum

factum ejus, ſicut Lucret : Ad ſedare ſitim fluviique fonteſque vocabant, pro ad ſedatum, vel ſedationem ſitim (quomodo priſci loquebantur) aut ſitis. Quoad ejus fieri poteſt, pro quoad factum ejus poſſibile eſt. Nam potis & pote omnium generum & utriusque numeri ἐνεργητικῶς καὶ παθητικῶς in agendi & patiendi ſignificatione uſurpatur, ut : Hic poteſt facere. Hoc poteſt taceri. Plautus Pſeud. act. 2. ſcen. 2. Poteſt ut alii ita arbitrentur. Varro. Qui pote, plus urget, pro qui plus poteſt, ſeu pote eſt. Propert. Qua pote quisque in ea conteret arte diem. Terent. Non pote ſatis pro merito ab illo ſibi referri gratia. Lucret. lib. 1. Conjunctum eſt id, quod nunquam ſine perniciali deſiderio potis eſt ſejungi ſeque gregari. Et lib. 4. de ſemine maſculo : Tenue locis quia non potis eſt adfigere adhæſum. Et lib. 5. De corpore Lunæ : Non potis eſt cerni, quia caſſum lumine fertur. Ennius :

Spero si speres quicquam prodesse potis sunt. Lucill. omnibus in rebus fiunt fierique potis sunt. Varro 2. rei rust: Videamus quid pastores à Pergamide potis sunt. Plaut. Pæn. scen. ult. Trecentos Philippos corradi potest, pro possibile est. Ita & potior res pro possibilior, factu facilior Plaut. Aul. act. 4. sc. 7. Hem mater mea tibi rem potiorem video, id est, faciliorem impetratu: id quod etiam doctissimorum interpretum acumen fugit, ut minus adeo mirandum sit à Famiano aliisque Calepini discipulis ista ignorari.

Exequias anniversarias matris persolverat.] Sacra vel justa funebria seu funeris, inferiæ aut piacularia sacra vel solemnia funeris possunt esse anniversaria, non item exequiæ; quæ dictæ sunt, quod cadaver cum efferetur, viventes id sequerentur, unde Varro exequi funus dixit, & Massurius Sabinus apud Agell. 10. c. 15. Cicero: Mater exequias funeris illius prose-

prosecuta est. Et amici conveniunt ad exequias cohonestandas: similiter exequiæ duci dicebantur Curt. lib. 20. Miseræ matri duorum filiorum exequias esse ducendas, pro quo Just. lib. 23. Exequiarum officium debitæ pietatis implere. Rectius ergo dixisset, Carolum manibus maternis inferias annua religione dedisse vel tulisse, stata vel annua sacra fecisse, perfecisse, peregisse, instaurasse, materno funeri justa anniversaria fecisse, confecisse, prestitisse vel solvisse, magno funeris apparatu suprema officia celebrasse, aut, cum Apulejo, feralia officia peregisse; cum Virgilio annuam supremis muneribus decorasse, cum Catullo, postremo munere mortes donasse, cum Ovidio in cineres ultima dona dedisse: τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων Homerus frequentat sic a Marone redditum: qui solus honos Acheronte sub imo est.

Insolitum & inauditum est ut suas quis exequias celebret.] Si hodie in terris

Caro-

Carolus exiſteret, mendacii Famianum haud dubiè argueret. Idem ipſum enim Leodicenſem Præſulem non multo ante feciſſe noverat, quod etiam Famianus legendo Sleidano noſſe potuerit.

Hoc velut rudimento Carolus vicinia jam morti proludebat.] At vero aliud eſt mori, aliud mortui funus complorare, vel mortuo leſſum lamentando facere, quod Carolum feciſſe Famianus dixerat, non minus quam alios funebres & exequiales næniæ cantores. Itaque cantu ſuo morti nequaquam proluſit: Nec aliud eſt Proludere & audimentum ponere, cum etiam Veteranus juſta prælio poſſit proludere. Sed quoniam in mentem nunc venit Famianum proluſiones Academicas edidiſſe, meo aliorumque me doctiorum nomine rogatum velim, ne docere vos pigretur, cujus argumenti & operis fuerint Virgilii Proluſiones, ex quibus hunc Diomedes Grammaticus verſum re-

citat : Incedi paululum in ſpecum procumbente Priapo. Res minime ſane indigna, in qua nervoſiſſimi patres Jeſuitæ omnes nervos intendant ſuos, dum tamen de Proluſionibus, non de ſpecu me loqui meminerint, ne in eum per errorem ipſi quoque procumbant.

Ingenti ſenſu pietatis ac religionis exceſſit.] Hoc quid argumenti habeat neſcio. Pietatem ne ac religionem Carolus vita excedens ſenſit? Hoc autem nemini ignarum eſſe potuit. Si alii pietatem in excedente ſenſerunt, Exemplo rectius dixiſſet, quam ſenſu; quomodo pag. 304. de Johanne Auſtriaco ſcribit: magna pietatis ſignificatione deceſſit.

Subcreſcente morbo.] Increſcente morbo, locupletes auctores habet. Succreſcente eſt in locum alterius creſcere. Livius: Adoleſcentes ſeniorum gloriæ ſuccreſcunt, Cicero: Orator aliorum ſuccreſcens ætati. Plautus: Mali mores qſ. irrigua herba ſuccreverunt uberrime.

Qua

Qua nocte Carolus integumento sese corporis evolvit.] Iſta vero plusquam Tulliana eſt elegantia Muſarum eloquio comparanda. Caveant proinde Jeſuiticæ diſciplinæ alumni, ne poſthac Chriſtum in cruce mortuum eſſe vel ſpiritum emiſiſſe dicant, ſed cum Famiano omnis latinæ elegantiæ arbitro dicere meminerint, Chriſti animum integumento corporis ſeſe evolviſſe. Tametſi autem integumenti vox quandam doli ſignificationem habet, quod apparet in iſtis Ciceronis: Qui iſtius inſignem nequitiam frontis involutam integumentis nondum cernit. Frontis integumento ad occultanda tanta vitia diutius uti non licebit. Evolutus es aliquando illis integumentis diſſimulationis tuæ. Et in hoc Plauti: Non eſt uſquam mihi integumentum meis mendaciis: tametſi etiam Cavillationis locus datur, quaſi Chriſtus non verum & naturale, ſed aſſimulatum & præſtigiatorium corpus habuerit,

in

in quo velut involucro falleret: Cum tamen flos ille ſocietatis & alpha literatorum Famianus ita loqui non dubitet, poteſt imitator ejus otioſo eſſe animo, & quantum eſt doctorum hominum, qui judicium in eo requirunt, Cacozelian hominis atque ὀγκολογίαν vel potius ὀγκηθμὸν incuſant, omnes unius æſtimare flocci.

Omiſſis horum commentis ſomnia denique venditantium.] Nusquam vocem denique ſic uſurpatam obſervavi, ut ſignificaret tandem, poſtquam ſcilicet probè diſputata eſt ratio, inventumque verum, pro quo vulgò diceretur, quæ in effectu vel revera nihil ſunt niſi ſomnia. Particulæ tandem is uſus videtur in hoc Ciceronis Paradoxo ultimo: M. Manilius Patrum noſtrorum memoria, ne ſemper Curios & Luſcinos loquamur, pauper tandem fuit. Et in iſto Terentii Phorm. Pone eum eſſe victum; at tandem tamen non capitis ejus res agitur, ſed pecuniæ.

Inter

Inter ejurationis solemnia.] Nihil causa fuit, cur abdicationem vel resignationem aut cessionem imperii ejurationem diceret, cum ab ea vis & compulsio abfuerit, nec jusjurandum intervenerit.

Imperii molem sustinere se ultra diffideret.] Ciceronis est : Rem posse confici non diffido. Diffisi sunt se posse invenire quod cuperent, quomodo etiam verbum confidere usurpatur. Livius lib. 44, 13. Agros confidere se à populationibus tueri posse. Ubi Confidere est verbum infinitum, suppresso, quod Historicis solenne est, verbum cæperunt, quod non animadvertentes ex eo fecerunt, Confiderunt, quomodo Jesuitas primi nominis scribere non pudet, nates ea causa perdere susque deque habentes, nam nec pueri ignorant a Fido præteritum formari Fisus sum. Lucretius. Diffido ne hoc inveniat, pro Timeo dixit, lib. 5. Nec diffidere, ne terras æterna teneret. Nox in

in perpetuum detracto lumine solis.

Quibus in abdita conari mos est & vile est quicquid in summo patet.] Quid opus erat istius generis insolentia? An Famianum pœnitebat Ciceronis, ut cum illo dicere dubitaret: *Quibus occulta Regum, penitusque abdita scrutari omnique diligentia investigare mos est.* Qui altius perspiciunt aut cum Seneca rimari & conjecturare, sive cum Livio conjectare. Mitto quod abditum & summum mutuo nequaquam adversantur, cum idem in imo esse & patere haud discrepet seu repugnet, sive ut Jesuitis loqui placet, non implicet.

Deterritum suspicabantur Cæsarem Galliæ regis felicitate.] Territum dicere debuerat, vel conterritum.

Juventam regnandi capacem.] Rectius erat regni.

Captam incepisse.] quomodo & p. 104. & 201. 108. Similiterque occeperunt pag. 122. & in cęptantes p. 171. 221.]

Nescit

Neſcit etiamnum vetulus Ludi magiſter eadem ſignificatione demta, nihil commune habere capit & incipit, nec a cæpere formari incæpere aut occæpere, ſed a capere incipere & occipere. Lucret. lib. 5. pueris florente ætate juventas occipit & molli veſtit lanugine malas. Quo jam igitur patrono Famianus natale ſupplicium,uberemque virgidemiam tam fœda inſcitia commeritam evaſurum ſe ſpectet.

Felicem Imperatoris Genium in Galliæ regem immigraſſe.] Non temere quenquam usque eo fatuum inventum fuiſſe puto, qui hoc aut crederet aut ediceret. Genios enim novimus aſſiſtere hominibus, non ineſſe. Horat. Scit Genius natale comes qui temperat aſtrum. Cæſaris ergo Genium ad Galliæ Regem commigraſſe dici potuit.

Dicebat Carolus Fortunam eſſe juvenum amicam.] Hoc ſi dixit ille (de quo eſt cur merito dubitem) nempe parum-

parumper de Divina ſenſit providentia, quaſi nec velocium ſit curſus nec fortium bellum, nec ſapientium panis, nec doctorum divitiæ, nec artificum gratia, ſed tempus caſusque in omnibus Eccle. 9. ſed aut omnia me fallunt, aut Carolo nunquam ea vox excidit: Sed Famianus, cujus dicti leporem magnopere probaret, id Carolo tribuere, quam vero ejus auctori adſcribere maluit. A Machiavello enim id mutuatus eſt cujus verba ſunt extremo cap. 25. de Principe: jo judico ben queſto, che ſia meglio eſſer impetuoſo che reſpettivo, perche la Fortuna é donna: & é neceſſario volendola tener ſotto, batterla & urtarla. Et ſi vede che ella ſi laſcia piu vincer da queſti, che da quelli che freddamente procedano. Et pero ſempre (come donna) é amica de giouani, perche ſon meno reſpettivi, piu feroci e con piu avdacia la comandano.

Plus ultra & plus citra.] Quid attinebat

nebat id genus barbariſmis dictionem infuſcare? Cum columnas Herculis nominarit, quidni has ultra & has citra dicere præoptavit? Sic enim abeſſet periculum, ne Jeſuitarum diſcipuli has ſermonis ſordes affricari ſibi paterentur.

Præcautos aleatores.] Etſi cautus dicitur qui cavet; Præcautus tamen non niſi καθηλικῶς uſurpatur. Cicero: Res tota mihi perviſa atque pręcauta eſt. Idem in Plauciano Incauto non pręcautum ſed præcaventem opponit: Qui te incautum fortaſſe, nunc tuo loco dimovere potuerunt, providentem ante & præ caventem nunquam certe movebunt.

Veriti fortunæ aleam.] Hoc alibi Metaphorice recte dicitur: hic autem dum de aleæ luſu proprie ſermo eſt, rectum erat, veriti fortunam aleę, quod ſignificat mutabilitatem.

Parto victoriarum cumulo exui.] Inepte victoriæ dicuntur pecuniæ, quas quis

quis ludendo lucrifecit ; nihil ominus est exui cumulo victoriarum. Debet enim Metaphora esse verecunda, quod in usu verbi exuere Tacitus minime omnium pensi habuit.

Non pauca vellicabant animum Cæsaris pietatis omnino non surdum.] Virgilianum est : mihi Cynthius aurem vellit & admonuit, quod si Famiano hic in mentem fuit, non erat, cur animũ surdum mallet, quam aures surdas dicere. Surdus porro pietatis pro eo, cujus aures ad pietatis monita obsurduerunt, minime optimum habet auctorem Columelam.

A fidelium societate diris Pontificiis expunctus Angliæ Rex.] Expungere a societate Latinum non est. Sacris aliquem interdicere, sacra alicui interdicere recte dicitur. Cornelius Nepos in Alcibiade : capitis scilicet damnatum bonis publicatis audivit & Evmolpidas (sacrorum præsides) a populo coactos, ut se devoverent, ejusque devotionis exemplum in

pila

pila lapidea incisum esse positum in publico. Et infra: restituta sunt ei publice bona & Eumolpidæ rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant; pilæque illę, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hic devovere est qs. exsacrare, sive extra sacram communionem ponere vel excommunicare; & Resacrare ab excommunicatione absolvere.

Religionis capita, ad quorum observantiam exigerentur omnes.] Primum Latine non dicitur: Exigor ad observantiam, sed exigor observantiam. Plautus Trinum: act. 2. Sc. 4. Nuper sponsionem exactus es, pro illo adolescente, id est, coactus fuisti dependere, quod pro illo spoponderas. Cæcilius: Ego hoc minus nihilo exigor portorium, id est, portorium a me exigitur. Metellus apud Agell. 15. 14. Flentes quæruntur se maximas pecunias exactos esse. Deinde observantia aliud significat quam obser-

observatio, eſt enim, docente Tullio, per quam ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur & colimus. Itaque apud eundem legimus : Obſervantia aliquem colere, ex officio & obſervantia alicujus capere voluptatem, diligere aliquem propter ſuam humanitatem & obſervantiam, amicos obſervantia retinere, mea tibi obſervantia nunquam defuit, omnes in tui obſervantiam vincam. Vellejus tamen minus locuples auctor, obſervantiam dixit pro obſervatione lib. 2. Mira felicitate & cura ducis, temporum quoque obſervantia, qua ſcilicet temporis articulos, vel opportunitatem diligenter obſervavit. Hygenus quoque plebejus bonæ ætatis ſcriptor obſervantiam pro cuſtodia dixit, Aſtronom. 2.20: Cum Vulcanus Venerem duxiſſet, & propter ejus obſervantiam Marti ejus copia non fieret, id eſt, quia eam Vulcanus diligenter obſervabat. Poſtremo ob-

ſervare leges & decreta non eſt om-
nino illud ipſum, quod obtempe-
rare, parere, aut ſtare legibus, & de-
cretis, ſed animadvertere, intueri, no-
tare, cuſtodire, ac velut in oculis ha-
bere, quomodo Curt. lib. 7. Præce-
piſti Rex, ne quem præter te intue-
rer, id eſt, obſervarem, etiamſi vel
mater tua aliquid mihi ptæciperet.
Et Nepos in Chabria: omnes qui in
Magiſtratu erant, auctoritate antei-
bat, eumque magis milites, quam eos,
qui præerant, adſpiciebant, id eſt, re-
verebantur, utque Catullus ait, reſpe-
ctabant. Ex quo per Tropum ob-
ſervare, etiam pro colere ac revereri;
tum pro præcavere, & maligne cap-
tare, uſurpatur. Cicero: Obſervare
ſigna & motus ſtellarum: alicujus
occupationem & tempus: non id a-
git, ut inſidietur & obſervet: Com-
mendationes alicujus diligenter ob-
ſervare, quod eſt earum rationem ha-
bere, magni facere: Obſervare &
colere aliquem; hoc ne accidat ob-
ſer-

ſervari non poteſt. Terent: ſenſit ſcripturam ſuam ab iniqvis obſervari. Hinc & obſervationem pro cautione ac diligentia dixit Cicero: ſumma erat obſervatio in bello movendo, ne quid ſcilicet non moribus & legibus fieret. Latinius ergo Famianus dixiſſet: Cæſare de religione cultuque Divino leges fixiſſe, quibus interim ſe tenerent, vel tenerentur, vel ſtarent, vel obtemperarent, quasque obſervarent omnes. Sed enim haud dubie ob oculos glaucoma objecit, quod eſt apud Livium: Nolite ad veſtras leges atque inſtituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. Ubi exigere, valet expendere, examinare. Sicut Tullius dicit: Columnas ad perpendiculum exigere, id eſt, explorare, ſintne factæ ad perpendiculum? Seneca: Argumenta ad lancem exigere. Svet. Cæſare: Margaritarum pondus ſua manu exegit. Politianus ſcripta ad obruſſam exigere dicit, minimè ineleganter,
 quam-

quamvis apud Svetonium, quem ille videri potest imitari voluisse, aliud significet exigere, Neron. 44. Exegit ingenti acerbitate argentum postulatum, aurum ad obrussam. Non dixit Svetonius: Ad obrussam exigere, sed aurum ad obrussam, id est, coticula, vel lapide Lydio probatur, quomodo Seneca epist. 13. Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium probatur: hæc illius obrussa est, ad quam animus, velut aurum exigitur, sive exploratur, quæ verbi significatio est in illo, nescio cujus: Non tetrica nugas exagitare meas. Valer. Max. lib. 4. cap. 7. num. 3. si ad debitam ministerio publico fidem exigatur pro, expendatur. Verum ista Famianus in Calepino non invenerat, eoque veniam meretur.

Luctuosam Romæ depopulationem Cæsar sibi haud imputavit.] Ridicule dictum de illo, qui captæ direptæque Romæ auctoritatem defugit, id est, noluit

noluit credi ſe auctore aut probante factum, quomodo pag. 269. adverſa nemo imputat ſibi, i. e. ſua culpa fatetur contigiſſe. Imputare nec apud Tullium, nec apud ullum ætatis aureæ auctorem legitur. Cicero: Si ordo eſt perturbatus, tibi aſſigna, non mihi, te enim ſequor. Hæc omnia crimina in nimiam diligentiam tuam conjecta ſunt, pro tibi imputantur. Id ut accideret, commiſſum eſt Hortenſii conſilio, pro, quod hoc accidit, Hortenſio imputatur. Si quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi offenderit, id eſt, non tibi, ſed ipſi imputabitur. Hoc non mihi, ſed tempori vel occupationibus meis adſignabo. Cauſam calamitatis alicui attribuere. Exitus bonos diis attribuimus: Mihi ſalutem imperii adjudicavit. Omnis temporum illorum culpam, invidiam mortis ejus in me confert. Non culpæ, ſed fortunæ aliquid tribuere. Mortis ejus cauſam ſervi ſuſtinent. Incertum caſum nullo modo præſtare

possum, id est, casus mihi imputari non debet. Plautus Stich. Meam culpam habeo, nisi probe excruciavero, id est, mihi imputabo. Cæterum posteriores imputandi verbo diversimode usi sunt. Petron. Habeo quod cœlo imputem, quod gratias agam, vel acceptum referam. Seneca. Ignari veritatis, Deo imputant sævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis, pro Deo adscribunt, ad Deum velut auctorem referunt. Ovid. Ep. Hypsip. Atque aliquis Pelcæ de partibus acta venenis imputat, id est, veneficio facta existimat. Curt. lib. 7. Verba nostra potius debes tempori nostro imputare, quam animo. Deprecor ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea, id est, ne innocentibus fratribus meis assignetur, aut fraudi sit, utque barbari loquuntur, præjudicet, quod ipse fecerim. Ascon. in C. Anton. suffragationem suam alicui imputare, & exprobrare patrocinium, quod valet quasi expensum

ferre

ferre, quomodo etiam Tacitus eo utitur de moribus Germanorum : nec data imputant, nec acceptis obligantur, id eſt, ſi quid alteri dono dederunt, eo nomine ſibi non putant deberi, ſicut nec ipſi pro donis acceptis debere ſe aliis arbitrantur.

Hæc de Cæſare ferebantur accepta hodieque aut rejecta, ſic pag. 298. *Nova regiminis forma hodieque perdurat*] *pro etiamnum manet.* Hodieque aurea ætate nemo dixit, ſed hodie quoque Liv. lib. 5. Qvod hodie quoque in Græcia manet.

Societatem Jeſu eſt ingreſſus.] Hoc facilius in Monacho tulero, quam in Jeſvita interiores literas profeſſo. Ingredi viam, & iter vitæ, latinum eſt. Sed iſti rectius dicuntur religioſam ſectam, rationemque vitæ ſequi vel exequi, ſanctorum hominum ſectam atque inſtituta perſequi : in religioſo aliquo ſodalitio nomen profiteri, vel nomen ei dare. Dixeram aliquando eos, ſe infibulaſſe, ad morem

Scænicorum alludens, qui fibulas, id eſt, circellos in naturis ſeu penibus habebant, ut exitum non facerent & vocem perderent, ait vetus Juvenalis ſcholiaſtes. Hoc ſibi Jeſuitæ in contumeliam, parumque honeſte dictum inſimulant, qſ. vero turpitudinem habeat quod eſt in Catalectis Maronianis: Imponere fibulam Priapo: obſcænitate autem vacet quod Matth. 19. Religioſi homines dicuntur Evnuchi, qui ſe ipſi caſtraverunt propter regnum cœlorũ, quodque Deut. 23. Evnuchus dicitur, qui eſt attritis & amputatis teſticulis & abſciſſo veretro. Certe aut omnia me fallunt, aut de mille Jeſuitis vix unus invenietur, quin malint infibulari, quam caſtrari ſive evnuchari, ut Varro loquitur, & amputatis penſilibus & abſciſſo peculio, aut ferro privatus parte virili (ait Lucretius) inteſtabilis vivere. Non parum quidem multos ſic evnuchos fieri crediderim, non tam propter regnum cœlo-

cœlorum, quam propter regnum illius rei, cujus non minor eſt cum cœlis ſimilitudo, quam vetere Romanorum orthoepeja, mari cum muro fuit, de qua Serv. Virgiliani explanatoris verba Grammaticæ noſtræ pag. 160. recitavimus. Cœterum adverſus triſtes & ſeveros cenſores meos, qui minus ſubducto patruoque ſupercilio æſcrologias, & nuptorum vel prætextatorum, aut inceſtorum, ſeu minus pudicorum verborum dicam ſcribere mihi auſi ſunt, quod infibularieos dixeram, qui continentiæ votum Deo nuncupant, S. Auguſtinus bene advocatus mihi eſt lib. 22. de Civitate Dei cap. 24.

Cæſarem conſilium ſuum cum Borgia unice communicaſſe.] Pro cum uno ſolo Borgia. Neſcit Famianus unice Latinis non aliud ſignificaſſe, quam ſingulariter, velut unice aliquem amare, laudare, commendare.

Inſtare fatum ſuum certa animi ignoratione opinari cœpit.] Non intellexit

C 5 Famia-

Famianus,quidCic.animi inductione ſignificet,ubi ſic loquitur:Cedet virtute dolor, & animi inductione langveſcat, i.e. intentione. Itē,ſi patientiæ animū intendas,ſi animū inducas, ut fortiter ferre velit. Itē,hoc non eſt poſitum in labore aliquo, ſed in quadam inductione animi & voluntate. Tantum animi inductio, & mehercule amor erga Pompejum apud me valet. Animus nimirum inducitur, ut aliquid velit aut faciat;non ut credat, vel ominetur. Nec enim impetrari poteſt, quin quale quidque videatur,talem quisque de illo opinionem habeat, ait M. Brutus Epiſt. 21. inter Tullij ad eum epiſtolas.

Intendit opinionem Veſalius.] Pro auxit, confirmavit, ejus eſt ætatis, qua, Fabio teſte, totus propemodum mutatus erat Latinus ſermo, fereque deteriora vincebant.

Vitam non diuturnam præmonſtravit Principi.] Pro prædixit: cum præmonſtrare ſit prius monſtrare,quidq;

facto

facto usus sit, docere. Plaut. Pers. Præmonstra docte, præcipe astu filiæ quid fabuletur. Terent. Heavt. Meus monitor & præmonstrator Chremes. Ciceroni est, monstro ac prodigio præsignificare: Novo aliquo motu magnum aliquid deos hominibus præmonstrare, atque præcinere. Inflammare ventos futuros præmonstrat. Monstrum quippe est, quo futurum aliquid mõstratur: sicut prodigium, quo prædicitur seu prænuntiatur. Virg. Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris. Et de guttis sangvinis ex arbore manantibus: Dictu video mirabile monstrum. Monstra deum refero.

Secessu delecto, ubi a solitudine otium habere posset.] Non quæsivit Carolus otium a solitudine, sed a curis & negotiis, publicis potius a turba & celebritate; quomodo Terentius, ejusque imitatione Tullius dicunt: Tantumne ab re tua tibi est otii? quod est: tantumne otium res tua familiaris tibi tribuit vel impertitur. *Sub*

Sub initium hujus anni.] In ipſa prępoſitione ſub eſt initii ſignificatio. Itaque ſub initium, pro ſub ineuntem annum, vel ineunte anno,ſive ut Cæſar loqvi mavult,inito anno, aut quomodo uterq; Plinius,inter initia, non ſatis conſentaneum eſt bene loquentium conſvetudini.

Occaſione belli induciæ violatæ ſunt.] Idiotiſmus Italicus. Latine occaſio belli eſt, quæ bellum inducit. Vult autem Famianus dicere. Bellum violatarum induciarum occaſionem fuiſſe. Cenſeo igitur Grammaticæ Philoſophicæ in diſciplinam ſe dedat: aliter violatæ Latinitatis dicam vitandi nulla ei poteſtas erit.

Nondum anno circumacto.] Etſi apud Livium legitur : Annus ſe circumegit, uſitatius tamen eſt,nondum vertente anno.

Henricus ad bellum extractus.] Rectius erat pertractus.

Patrem militiæ veterem.] Quia ſcilicet Tacitus regnandi veterem dixit, quod

quod ſolemni ejus κακοζηλία dignum erat.

Armato ingenti exercitu, quod promptum in Gallia populis referta, atque in arma ſoboleſcente.] Armato pro coacto dicit idiotiſmo Italico. Non enim in regno, quamvis hominum refertiſſimo, eadem facilitate ingens exercitus armis inſtruitur, qua cogitur. Nec ſoboleſcere Latinum eſt, ſed ſuboleſcere, quod eſt ſubcreſcere, ex præpoſitione ſub, non ſob, & ex, oleſco, quod ſignificat creſco, unde Adoleſcens & ſuboles, non ſoboles. Atque iſta nec parectati Jeſuitarū debebāt ignorare.

Seſe e Cingulo Galliæ claves geſtare.] rectius erat, de Cingulo pendentes aut ſuſpenſas claves.

Rediit ad Hiſpanum belli ſors.] Utra vero proſpera ne an adverſa? æque enim de utraque dictum accipi poteſt. Metuit ſcilicet Famianus, ne Romanis cenſoribus ferendus non videretur, ſi ex adverſis rebus ad meliorem ſtatum Hiſpani fortunam revoca-

vocatam fuiſſe diceret, aut inclinatam ac prope jacentem ejus fortunam rurſus erectam, aut priſtinam fortunam ei rurſum affulſiſſe. Itaque nappis illis latina non æque intelligentibus, libri ſui cenſoribus os ſublevit, proſperum fortunæ ſtatum, belli ſorte, occultius ſignificans.

Teſtes operæ a ſe in pugna collatæ.] Pro navatæ, nequaquam Latine dicitur. Nec enim eadem res eſt, quod Cicero dicit:curam,operam, ſtudium, diligentiam, laborem, ad negotium aliquod conferre.

Ex colliſis fractisque nubibus ſerenitas prodit.] Quis autem Latinorum quoque ſenſu, frangere nubes dixit?

Pronius in gratiam redeunt perpeſſi armorum damna.] Hoc inſolentiæ abſolvi nequit, nec enim Latinis in uſu erat, pati damnum, detrimentum, aut jacturam; ſed capere vel accipere damnum, aut affici damno. Itaque merito Antonium Cicero ſtoliditatis reum agit, quod contumeliam facere,

re, pro, pati vel accipere dixisset. Quis ita loquitur? (dixit) nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat, dicere? Nemo, puta eorum, qui Romane, non Barbare loqvuntur, quod ipsum Famianus sibi dictum putet licebit. Vide infra ad pag. 239.

Dominandi cupido, cui plerumque tenacius nubunt Reges.] Æquo lascivior est translatio, quid enim habent simile, uxori matrimonio jungi, & ambitioni, spei, timori, iræ indulgere? Mitto quod Latinè non dicitur nubere, qui uxorem ducit. Sola enim sponsa se viro nubebat, sive faciem velabat. Ineptæ denique appositionis est illud: tenacius, cui verbo locus est in amplexu, & retentione, non in facie obnubenda.

Nuptiarum hilaria, nunquam Gallia peregit, funestiori Catastrophe.] Neque nuptialium ludorum pars ulla est Catastrophe, nec vel Oratoris vel historici sermonem decent technologemata,

mata, ſive propria artium vocabula, aut termini, quos vocant. Grammatico in ſchola ſua permittitur, fabulæ Cataſtrophen dicere. Famiano tamen velut homini ſcænis ac ludis theatralibus aſſueto, minimè ſatis fuit ſemel cataſtrophen dixiſſe, cum & infra pag. 366. ſcribat : Suſpenſis admiratione qui aderant, & tanquam in ſcæna, quem exitum ea Cataſtrophe habitura eſſet, intentis, ubi ridicule exitum à Cataſtrophe diſtingvit, cum ipſa Cataſtrophe ſit exitus fabulæ. Nec etiam Latinè verbo intentus utitur. Intenti expectabant, quo res evaſura eſſet : in rei eventum intenti erant.

Totus ſangvine perpluens theatrum, quod modo plaudentium vocibus implebat, ſubita converſione, publicum in luctum ac lamenta mutavit.] Quomodo & pag. 344. A ſaucio & ſangvinem perpluente. Primum perpluere non aliud ſignificat, quàm aquam vel alium liquorem per tectum impluere,

aut

aut pluviam per tegimen manentem admittere. Plaut. Moſtel. Venit imber, lavit parietes, perpluunt tigna, pro, perpluuntur. Hæc eſt tempeſtas, quam amor in pectus perpluit meum. Et Trinum. Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant. Quintil. Cænaculum ejus perpluit, id eſt, tanquam de re perfecte præterita aut plus eo. Tandem non theatrum mutatum eſt in luctum, ſed plauſus & voces theatri.

Extra ſcænam & fabulam humanæ felicitatis tragœdiam ad vivum egit.] Vel ſemitarium, aut quemvis de trivio literatorem hujuſmodi ſermonis pudere debeat. Ad vivum enim fabulam aut mimum agere, ut nimirum nihil velut in ſcæna ficte ac ſimulate; ſed tanquam vera res agere videatur, non homine Romano, literis exculto, ſed aliquo hodiernæ fæcis italicæ foſſore aut caprimulgo dignum loquendi genus eſt. Ad vivum Latini dicunt, ſubaudiendo corpus, ut ſit uſque ad

vivam

vivam cutem. Columel. Extrema pars ungvis ad vivum reſecatur, & ita ſangvis emittitur. Plauti Bacchid. Auro ſenem detondebo usque ad vivam cutem. Cicero. Non id ad vivum reſeco. De vivo erat aliquid deſecandum. Fingamus tamen Latinè dici, ad vivum agere, aut repræſentare aliquid, tanquam ſi actor Ajacem furioſum in ſcæna ſaltans ſe ipſe gladio confodiat, isque Ajacem ad vivum egiſſe prædicetur. Nil ibi per ludum ſimulatur, at omnia fiunt ad verum, ut Juvenalis, quid ejus ſimile in re præſenti? Nec enim Galliæ Rex aliquid fingebat aut ſimulabat, quod in theatro oculis ſpectantium repræſentaret, ſive re ipſa ſubjiceret. O aurita Arcadiæ pecora, qui Romæ, hujus cuculi vocem, veluti luſciniolæ melos in aures admittere ſuſtinetis!

Hoc à genethliaco omnino prædictum aſſirmarunt.] Pro diſertim, perſpicue, plane, clare, aperte. Omnino ſignificat

ficat ex toto, non ex parte, in univerſum, quodque vulgo dicunt, totaliter. Cic. 5. Tuſc. Nusquam id quidem dicit omnino, ſed quod dicit, idem valet, id eſt, non totidem verbis.

Quæ marium litora non ſcrutata eſt Belgarum nautica.] Nauticos quidem lego dictos, qui vivunt aut curant in navibus, nunquam verò inveni nauticam. Lucret. lib. 5. Improba navigii ratio tum cæca jacebat, id eſt, omnibus ignota erat Famiani nautica.

Ob factas belli hujus occaſione impenſas.] Jam ſupra monui minimè hoc Latinè dici, quod tamen Famianus frequentat, bellum fuit occaſio impenſarum, quæ autem belli fuerit occaſio, hoc loco non exponitur.

Provinciæ Belgii ſuos habere ſeorſim dominos, poſt uni adactæ ſunt.] Seorſim barbarè dicitur, Latinè ſicut rurſus & rurſum, verſus & verſum, prorſus & prorſum, ſurſus & ſurſum, quorſus & quor-

quorſum, ſiniſtrorſus & ſiniſtrorſum, retrorſus retrorſum, ſimiliter ſeorſus & ſeorſum : etſi nec iſtis hic locus eſt. Privos, ſeu ſuos ſeparatim unaquæque dominos habuit. Seorſum eos habuiſſent, ſi eos alicubi in penetrali concluſos tenuiſſent, vel continuiſſent, quomodo manum habet ſeorſum, apud Catullum, qui eam continet, ne quid in horto carpat. Inſolens porro eſt adigi domino, pro in verba alicujus jusjurandum, jurejurando, aut per jusjurandum adigi. Infra pag. 85. Omnem ſeorſim conveniendi oportunitatem adimebat. Et ita ſæpius, nec usquam aliter, in quo Danielem Heinſium imitatorem invenit, quo diſcipulo gloriari poteſt, non tam natalibus nobili, quam natibus quondam mobili, cui ad Bardonis ſui memoriam etiam nunc anus pruritu geſtiens ad pariendum.

Carolus cupiebat Belgii provincias in regnum transferre.] Pro commutare, id eſt, ex omnibus provinciis regnum inſti-

inſtituere. Ridicule, quaſi perinde alio provinciæ transferri poſſunt, ac diſcipulos Jeſvitæ ad ſcholas altiores transferunt.

Rex qui hujus judicio plurimum daret.] Hoc novum eſt: Ciceronianum vero, plurimum tribueret, ſubaudi opinionis, fidei, benevolentiæ.

Burgundia ad Belgii principem ſpectat.] Similiter pag. 205. Germanos ad Caroli Cæſaris imperium ſpectasſe, pro, ſub ejus ditione vel imperio fuiſſe, & 369. Spectat ad prudentiam Principis. Naticidium merebatur vetulus Ludimagiſter, qui putet, hoc ad me ſpectat, latine dici pro, hoc meum eſt, aut juris mei, ſive ad me attinet, ſpectare ad aliquid, eſt aliquo vergere, reſpicere, obtentum vel oculos dirigere.

In expeditione deducenda.] Ciceronianum. Exercitum in expeditionem educere. Sed qui diceret, deducere expeditionem, ante Famianum nemo inventus eſt.

Præ-

Præter alios in Germania dominatus.] Minime Latine dicitur Dominatus, provincia, oppida & caſtella ditioni aut imperio alicujus ſubjecta. Ipſum in ea domini imperium, dominatus, dominium vel dominatio appellatur. Laberius in Epheſo: Ope noſtra dilatatum eſt dominium togatæ gentis.

Potentia magnam ſeptentrionis partem affinitatibus complexa.] Non potentia, ſed domus aut familia Naſſovia affinitatibus magnam partem, non ſeptentrionis (id enim perſpicue falſum ridicule dicitur) ſed Principum ac Regulorum Aquilonarium complexa eſt.

Matrona ex liberis fœminis, quas genuit, 150. nepotes vidit.] Scire per velim liberi ne, an liberæ fæminæ fuerint, quas illa genuit. Hoc Famianus nec ex Calepino, nec ex Alvaro ſuo diſcere potuit. Si ergo Minervam ſanctianam conſulat, cenſeo: Si filiis dixiſſet pro vocabulo: Quas, nullum dubio locum reliquiſſet. Quo exemplo

emplo Plautus Sticho dixit: Gratulabor adventum veſtrum filiis, pro quo priſci dicebant, filiabus. Quorum autoritate & exemplo quidam Jeſuiticæ diſciplinæ alumnus, cum duas filias Moniales Herbipoli argenteo ſcypho donaret, ſic inſcripſit: Duabus filiabus ſvabus D. D.

De Regis filio non ab re veritus, & pag. 244. Non ab re ſuſpicabatur & 306. Offenſionem non ab re veritus.] Fœdam hoc latini ſermonis inſcitiam arguit, cum prorſus contrarium ei dicat, quod volebat: res enim uſurpatur pro cauſa vel ratione. Hinc qua de re, qua re, hac re, ea re: multis rebus aliquid probare, quam obrem, eam obrem, igitur non ab re veritus eſt, ſine aliqua cauſa veritus eſt: Quod contra Famianus dicere cogitabat, à cauſa, cum cauſa (ut Varro & Cicero loqvuntur) non temere, non de nihilo, ſive ut Lucretius ait: non ab nulla ratione. In illo Livii lib. 35. (quod fortaſſe Famiano impoſuit:)

Non

Non ab re eſſe Quinctio viſum eſt, ſociorum aliquos ei conſilio intereſſe, ſubauditur alienum, ut ſenſus ſit: in rem eſſe viſum eſt. Quomodo & in iſtis Plautinis Aſin. Act. 1. ſc. 3. Haud id ab re aucupis. Capt. a. 2. ſc. 2. Quidvis faciam, dum ne ab re quid ores, id eſt, dum ne ores, quod mihi malo ac damno ſit. Trinum. a. 2. ſc. 2. Amor ſubdole blanditur, ab re conſulit, id eſt, noxia rei familiari. Truc. a. ſc. 6. Haud ab re tibi obvenit iſtic labor, (id eſt nequaquam rei tuæ diſconducet) filium peperiſti, qui ædes ſpoliis opplebit tuas.

Ad convivale tripudiantium oblectamentum adhibita.] Livianum eſt; Pſaltriæ & convivalia ludiorum oblectamenta addita epulis. In hoc autem imitando ineptus eſt Famianus, prorſusque pædagogici judicii Ludiones convivas oblectant diſcumbentes: Hic autem ipſi convivæ ſunt, qui ſublatis epulis menſiſque remotis tripudiant. Ridicula porro

porro & puerilis eſt comparatio, qua mox rei arcano creditæ enunciationem pluviæ facit ſimilem : ceu pluvia tectis excepta ex una in aliam tegulam imbricemque devoluta, in publicas vias demum ſpargitur : ita pluribus in conſcientiam clam ſemper adhibitis, quod ſecretum ſingulis erat, populo rumor fit. Primum enim nihil pluvia habet arcani, cum uno eodemque tempore non magis in tectis, quam in via ejus guttæ ſpargantur, multoque prius his, qui foris, quam qui ſub tecto ſunt, apparent. Tum etiam nihil neceſſe eſt, aquam tecto exceptam in vias ſpargi, cum paſſim collecta canalibus in impluvium, hypathrum ſubdiale, aut ciſternas deferri ſoleat.

In Mariæ amitæ mores Margarita immigravit] Quam ſtolida & bona fide pædagogica eſt iſta translatio? An enim mores ſunt domicilium, quo animus immigret, ac non potius domicilium morum eſt animus?

Summopere capiebatur venandi studio.] Non studio capiebatur, sed venationibus: etsi venandi studio ardebat, tenebatur, flagrabat.

Eam habitu venatricis expingerent.] pro depingeret, expingere significat aliquid amplius, ita scilicet depingere, ut plus animo subjiciatur, quam oculis.

Vitam amisit fato, non tam suo, quam Maximiliani mariti, cujus & uxor altera in venatione equo decidit, obiitque.] Ita discimus, Jesuita Magistro, hoc Maximiliano Cæsari fatale fuisse, ut duas uxores venando amitteret, quia scilicet Deus ab æterno constituerat ac designaverat, ut superatrices ac venatrices istæ equis excussę, perirent: Quod fatum mutari non potuit. Velim videre nunc frontem Patris Riccardi, cujus permissu, tam palam impia & hæretica Romæ exeunt.

Amitam per saltus sequebatur, accedentibus annis eam præitura.] Cum verbo sequebatur, in propria significatione

tione utatur, inepte ei opponit præitura, quod hic nonne usurpat pro, superatura, sive metaphorice, anteitura, antecessura, relictura.

Filiam suam Herculis primogenito spopondit.] Barbarum est, primogenitum dicere, qui natu sit liberorum maximus, nec tamen delicias in eo facere Famianus dubitat. pag. 297.

Nuptiæ septennio post peractæ sunt.] Nec agere, nec peragere nuptias, latine dicitur, sed celebrare.

In Farnesiorum regnatrice tunc domo.] Nihil mirum Famianus facit, palpo Farnesios percutiens, cum haud eum fugiat, quantum assentationis suæ pretium societatis conditores tulerint, cum, ut Ose. 7. scriptum est, in malitia sua lætificarunt Regem, & in mendaciis suis Principes; illud quidem certe non potest ei esse dubium, longe aliam Ignatii ac sociorum ejus sortem fuisse futuram, si exemplo D. Bernhardi Paulo III, ejusque filiis ac nepotibus Farnesiis illa Dei verba

Ose. 8. impegissent: ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes exstiterunt, & non cognovi.

Ignatio Loyla Societatis Jesu fundatore,] pro auctore, conditore, institutore; Fundare non significat condere, aut statuere, sed firmare ac stabilire. Liv. lib.3. Fundata plebis libertate, quod mox ita interpretatur: Utrum novis legibus dominatio, an libertas firmata sit. Virg. 7. Æneid. Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem, Acrisionæis Danaë fundasse colonis, id est, urbem colonis eo deductis stabilivit, urbis statum deducta colonia confirmavit. Cic. illud maxime vestrum fundavit imperium, multa virtute stabilita libertas.

Apud Ignatium Margarita Parmensis expiare à noxis animum consuevit.] Judicium seu mercedem mihi polliceri audeo, si Famianus & pater ejus patratus Vitellianus, me judice, hic cognoscant, cujusmodi ea sint, quæ de Ignatio Margaritæ conscientiario aut con-

confessore summus optimeque de Ecclesia meritus Cananiensium Episcopus, Melchior Canus, anno 1548, literis consignanda duxit, in suo, de societate ejus, judicio, quod manu ejus perscriptum adhuc extat, penes Dominicum Canum, fratris ejus filium, Episcopum Geditanum, qui Carolo Hispaniarum Principi, hodierni Regis fratri, fuit à confessionibus, quem libellum totum extare, ac vulgo legi universæ Ecclesiæ non minimum intererat. Sic autem ibi loquitur: Ut veniam ad fundatores sectæ istius, quam Societatem Jesu dicunt, Generalis illorum est quidam Innicus: qui ex Hispania profugus, ne ab inquisitione, tanquam de illuminatorum hæresi suspectus comprehenderetur, Romam venit, & a Papa judicari petiit, a quo etiam, quia accusator nullus compareret, absolutus fuit. Ejus sodales sunt Turrianus Faber, Salmero & Laimus. Dicamus de singulis. Cum aliquando Romæ

essem, Innicum istum videre mihi libuit: qui in sermone sine ulla occasione cæpit suam commemorare justitiam, & persecutionem, quam passus esset in Hispania nullo suo merito. Multa etiam & magna prædicabat de revelationibus, quas divinitus habuisset, idque nulla ejus rei necessitate, quæ fuit occasio, cur eum pro homine vano haberem, nec de revelationibus suis quicquam ei crederem. Ex illo major me invasit cupiditas ejus, ac sociorum penitius pernoscendi. Cumque alia die pransum ad eum venissem, quendam sociorum suorum pro sancto prædicare cœpit, qui cum accitus venisset, illico hominis non satis incolumi capite mihi suspicionem movit, cumque de rebus divinis eum percunctatus essem, multa Hæretica respondit, quippe qui idiota, planeque rudis & indoctus esset. Innicus ejus causa confusus, iste, inquit, non est Hæreticus, sed fatuus, credoque eum lucida habere

bere intervalla, jamque adeo propter conjunctionem Lunę non esse usquequaque Catholicum, (ita fides Catholica Ignatii & Jesuitarum judicio, ex cœli affectione & compositione siderum pendet.) Alia die cum eo comite ad Cardinalem Farnesium venissem, (hic autem patronus ejus, qui ei instituti sui confirmationem a Papa confecit, cum omnes norunt, quam parum sanctus sit,) cumque puer cubicularius ad Cardinalem admitti petentem percunctatus esset, quemnam eum esse hero diceret, satis clara voce, dic, inquit adesse Magistrum Ignatium, aut Generalem Societatis, aut Dominæ Parmensis Confessariũ, nam ex unoquovis istorum te intelliget. Quod mihi animi inanis & ventosi visum fuit argumentum. Alio tempore Medicum quendam Clericum, qui Romæ agebat, pro magno sancto mihi prædicabat. Hic tamen sanctus, velut de illo compertum fuit, propitium habebat Romæ manendi,

totaque vita ægrotis curandis quæstum faciendi, tametsi duo habebat in Hispaniis sacerdotia, curæ animarum obnoxia, quæ Græcarum apud Complutum Literarum Professori commendaverat, qui ea nec administrabat, nec administrare poterat. Contigit autem ut sanctus iste Clericus alapam sæculari cuidam in rixa duceret, quam injuriam, cum eam passus remittere ac condonare nollet; Innicus pacificationi se medium præbens, per quendam sociorum suorum ita inter eos transegit, ut sæcularis Clericum fuste dedolaret, & Clericus de tergo ei satisfaceret, sicque ambo in pristinam amicitiam converterentur. Quod cum ego reprehendissem: Sanctos, mihi respondit, non sine Theologorum consilio ita sibi cum altero convenisse, licentia ejus rei à Papæ Vicario impetrata, (cum tamen nosmetipsi defendere aut ulcisci, nec cuiquam malum pro malo reddere, sed in bono vincere, & inimicis bene velle,

& benefacere divino præcepto jubeamur, nec vel Papæ, vel Petri, vel Pauli totiusque Apoſtolici collegii autoritate, ea lege ſolvi poſſimus, Matth. 5. Rom. 12. 1. Pet. 3.) Unde collegi magnam in Innico eſſe tam divini, quam humani juris inſcitiam, nullum recte & perperam facti diſcrimen ſeu diſcretionem, magnam converſationis vanitatem, qui Medicum cum curatis in Hiſpania ſacerdotibus beatificaret, furioſum autem pro ſancto prædicaret. Salmero & Laimus cum Tridentum ad conſilium veniſſent, ac die quadam mecum colloquerentur, egoque dixiſſem, inſtitutum ſocietatis eorum nimium habere novitatis, alter eorũ excandeſcens mihi regeſſit: Multo vero plus novitatis habet merda, (præſertim adhuc à culina fumans,) quo dicto ſe proripuerunt, me tanta eorum imprudentia ac ſcurrilitate non mediocriter commoto, poſt tamen à me reverſi veniam, ſed ficta

humilitate, me rogarunt, cum peccati ſui culpam mihi impingerent. Et iſta quidem Canus, ex quo multa me plura eorũ ſimilia, ſi caput me Jeſuitæ demulceant, depromere paratum profiteor, inprimisque quid ille de ſocietatis inſtituto, ſanctione Pontificia confirmato, deque Ignatii conſecratione ſeu canonizatione gloriantibus, ex communi omnium Theologorum ſententia, qui Thomæ Aquinatis placita profitentur, regerere doceat. Hoc autem loco ſatis habituros puto, ſi meo nunc judicio cognoſcant duo callida mendacia in Orlandini Hiſtoria Jeſuitica lib. 8. num. 46. inter eventa anni 1548. quo ipſo Canus ſuum illud de Jeſvitis judicium conſcripſit, de illo affirmari. Unum eſt, eum Jeſuitas, qui tum ab Innico Innichiſſæ appellarentur, eo nomine in Hæreſeos ſuſpicionem vocaſſe, quod Hæreticorum proprium eſſet de auctoris dici nomine, ſicut Nicolaitas, Arianos, Pelagianos, noviſſimeque

meque Lutheranos à nefariæ ſectæ inventoribus nominatos, conſtaret. Alterum Antichriſtum tum inſtare & natum eſſe, & Jeſuitas ejus præcurſores agere, ac propterea ab omnibus fugitari oportere: Utrumque ſpiritualis nequitia in cœleſtibus, prorſusq; diabolicæ calliditatis commentum eſſe, nihilque tale Cano nec per ſomnium in mentem veniſſe, ex illo ejus judicio manifeſte apparet. Hoc tantum ibi agit, ut de Jeſuitis eorumque ſocietate, Chriſtum, ejusque Apoſtolos ſedulo præmonuiſſe nos demonſtret, Matth.7. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, qui in nomine Jeſu prophetant, dœmonia ejiciunt, virtutes multas faciunt, ſed iniquitatem operantur. Ex fructibus eorum agnoſcetis eos, non modo ſi malos, ſed etiam ſi bonos præmature ferunt. (Quales pręcoces fructus ſunt magna Quadrimeſtrum Jeſuitarum in rebus

doloris sensu adigi, vel potius recipi: tametsi nondum adducor, ut vulnus fœminea aut puerili manu factum, minus dolere credam.

Philippum rogavit pro restitutione Placentinæ arcis.] Latine dicitur, rogare aliquem pecuniam, & de pecunia, non, pro pecunia. Aliud autem est, rogare aliquem pro amico, ubi pro unice significat. Nec tamen mihi, excidit, quod apud Phædrum fabul. 41. legeram: damnum haud recusant, tantum pro vita rogant. Eum tamen scriptorem velut domo barbarum, & sermone non parum sæpe plebejum, non nisi cum discrimine ac delectu imitandum intelligo.

Rex certus non assentiri.] Imo precibus ejus non cedere, roganti ea de re non obsequi, non annuere. Nam assentiri est idem, quod alias sentire sic, pag. 64. Rex assensus est Provinciarum postulatis.

Quæ sententia in senatu præposuisset.] Hoc ego Tacito relinquens, præpol-

polluiſſet malim, vel numero viciſſet.

Mures non meliores prævalituros.] Prævalere novitium verbum videtur, ab aurea certe Latini ſermonis ætate alienum.

Undecim equites deerant ad unum & quinquaginta.] Latine minime dicitur deeſſe ad numerum, ſed numero.

E Fliſſingæ portu ſecunda navigatione ſolvit in Hiſpaniam.] Imo vero invectus fuit in Hiſpaniam, cum e portu illo claſſem ſolviſſet.

Quam rem privatis quisque utilitatibus oderat.] Quidni potius ob privatas utilitates.

Quinque amanuenſibus epiſtolas dictando.] Elegantiæ erat, potius hominem vel famulum a manu, aut librarium cum Tullio, quam cum poſterioribus Amanuenſem dicere.

Qui eas ſeditionum turbas deſtinato animo vellens.] Sic latini non loquuntur, Ciceronianum erat obſtinato, obfirmato.

Ne

Ne eam in sinu vulpem aleret, quæ domesticos pullos ad extremum devectura esset.] Serpentem in sinu fovere, vetus ac tralatitium est ex Æsopi Apologis petitum, quis autem vulpes unquam in sinu alere visus est ? nisi forte Jesuitæ astutiam vapido gestantes pectore vulpem.

Totum se ad eorum partes transdidit, quomodo & pag. 17. In hanc partem se transdidit.] Ciceronis monitum est lib. 3. oratore: veteres (Plautus, Terentius , Cato,) qui ornare nondum potuerant ea, quæ dicebant , sunt omnes prope præclare locuti , (nam Cæcilius, Statius Insuber & Paccuvius Calaber, ejusdem licet ętatis, cujus illi mali sunt latinitatis auctores.) Neque tamen utendum verbis iis , quibus jam consvetudo nostra non utitur , sed usitatis. Nequaquam vero Ciceronis ætate usitatum fuit , quod semel in Terentio & nonnullis commentariorum Cæsaris exemplaribus lectum Famianus pueriliter arripuit :

Trans-

Transdere aliquem in otium. Mirum an pro cacozelia ſua Chriſtum a Juda transditum malit, quam traditum dicere. Itaque Lucillianum illud a Lælio ad Famianum rectiſſimè transferri omnes intelligentes mihi aſſentient.

Quo facetior videare & ſcire plus quam cæteri,
Pertiſum mavis, quam pertæſum dicere.

Quantum peccavit Hiſpanus importunitate remediorum:] Neſcit Famianus aliud Latinis ſignificare importunitas, aliud importunus. Illud ſignificat incommodum, non ſatis aptum, ſed a re alienius. Cicero : Eſt eo loco ſedes non importuna huic noſtro ſermoni. Ita remedia importuna ſunt tempore alieniora, intempeſtiva aut ad mortis genus minus oppoſita. Sed importunus non incommodi tantum & moleſtiæ, ſed etiam damni ac noxæ ſignificationem habet. Cic. ſcelus tam importunum,

tunum, audacia tam immanis. Importuna eorum in me crudelitas. Hoſtis importuniſſimus. Vultum importunum in forum detulit, id eſt, qui præportaret iram & vindictam minaretut. Vir incredibili importunitate & audacia. In illa importunitate & ſuperbia, amicum habere non poteſt. Importunitatem loci Cato apud Agellium lib. 3. c. 7. dixit pro incommoditate, cum locus militibus eſt periculoſus. Nec vero aliter a Tacito uſurpatur Annal. 12. ſumto ad prælium loco, ut aditus, abſceſſus, cuncta nobis importuna, & ſuis in melius eſſent. Significat enim non modo, non commoda aut parum ſecunda, ſed etiam vehementer adverſa. Illud, eſſe alicui in melius, loquendi genus eſt Tacito non indignum, ſed Famiano aliquo digniſſimum. Hoc autem eſt Livii: Omnia, quæ arte belli ſecunda ſuis eligi, præpararive poterant, providit: Cæſaris autẽ: Omnia ſecundiſſima nobis, illis adverſiſſima. *Pro-*

Provinciæ juraverant nihil militibus ſolvere non modo Hiſpanis, ſed etiam popularibus, donec externi Belgio non abſcedant.] Etſi donec pro quoad, quamdiu dici ſolet (Livius lib. 5. Auxilium verentibus negandum, donec ſub Rege eſſet, decrevit) tamen donec non latinis auribus eſt inſolens. Rectius & planius erat: Conjuraverant, ſe tam diu nihil non modo Hiſpanis, ſed etiam (vel ſed neque) popularibus ſoluturas, donec (vel dum) exteri Belgio exceſſiſſent, vel ſe quo ad exteri diſceſſiſſent, tam diu nihil ſoluturas, aut niſi forent, nihil ſe ſoluturas. Gemina germana huic inſolentia eſt in verbis iſtis p. 196. Dum nuncios ad ſe liberos nõ remitterent, privilegiis omnibus civitatem exuerat, pro quo ad, vel donec nuncios remitterent.

Denique non differendam ultra navigationem conficiebant omnes.] pro una denique omnium erat ſententia, non differendam navigationem in hoc

deni-

denique omnium judicium & opinio concordabant, vel, omnium ſenſus concorditer congruebant, de maturanda navigatione omnes uno ore conſentiebant. Quo vero Famianus niſi ſeipſo auctore, talem verbo conficere ſignificationem tribuit, ſicut & infra pag. 83. 165. 204. & ſæpius.

Per tabellarios Regi præciſe denunciat.] pro diſertim aut totidem verbis. Nec hoc ullo idoneo autore. Nam præciſe dicere Ciceroni ſignificat, non plena oratione aliquid offerre, ſed verbis nonnullis velut amputatis ac ſubintellectis, ut ſit conciſe, compendioſe & ellipticωs, ut aliquid deſit quod ſupplendum veniat; Cic. 2. de nat. Deorum: Providentia mundum adminiſtrari præciſe dicitur, plene autem & perfecte providentia Deorum mundum adminiſtrari. Et præcidere alicui, ſeu præciſe negare eidem Ciceroni ſignificat ita breviter roganti negare, quod petit, ut ne cauſæ quidem negandi proferantur, ſed

ſed pariter rationes negationis & ſpes rogantis præcidantur. Epiſtola vero Margaritæ ad Regem nihil præcidit, ſed ſatis omnia fuſe exponit. Itaque ſatius fuerat hoc Tullianum imitari 3. Verrin. Nonne vides hoc Metellum diſerte ſcribere. Et Livianum lib. 21. In Luctatii fœdere diſerte additum fuerat, ſi populus cenſuiſſet, & lib. 39. diſertiſſime planiſſimeque in eo decreto ſcriptum eſt.

Argentarii pecuniam ſœnerato dederunt Civitatibus.] Duobus ſolis Plauti locis vocem fœnerato inveni, ut ſignificet minime gratis, ſed cum uberi fœnore, aut lucro. Aſin. Fœnerato verba iſta funditat, id eſt, magnum hæc ei verba fœnus aut lucrum afferent, ſive Terentian: Hæc ei verba pulchre fœnerabantur. Menech. Palla ab uxore fœnerato abſtulit ironicôs, pro, magno cum pretio ac malo ſuo. Terent. Iſtud tibi fœnerabit, id eſt, magno tibi lucro erit, aut velut

cum

cum multiplici fœnore ad te redibit. Famianus autem fœnerato dare dicit, pro, fœneri dare, rursú ſe uno auctore.

Puellæ jungi in Regia Lutheri natæ.] Quæ dementia eſt, Saxoniam vocari Lutheri Regiam? Feratne Famianus, ſi quis Græciam, aut Vrennam, aut Monachum Bavariæ, vel denique Madritum Hiſpaniæ Jeſuitarum Regium vocet? ubi tamen nihilo prudentius Jeſuitis, quam in Saxonia Luthero de divinis & humanis creditur. Etſi, ut vere dicam, nemo Saxonum omninoque Germanorum ullius rei fidem Luthero habet, niſi eam, ſeu recte, ſeu perperam ex animi ſententia ſacris literis congruere, perſuaſum habeat.

Orangius cum Auguſto Saxone egit, non ducendam a ſe Annam Mauritii filiam, niſi Catholice victuram, in eamque conditionem Auguſtus & ipſa obſignatis literis convenit.] Cum ergo Famianus mox Annã ſugillat, quod pactam Orangio fidem pudicitiæ nequaquam ſervaverit? An enim

nega-

negabit, catholice eam vivere, quæ nulli negat, dat universis? Similis suburranæ illi, de qua in Ithyphallicis: Cum sacrum fieret deo salaci, conducta est pretio puella parvo, communis lętis omnibus futura, quas quis Catholicam esse neget. Mirum est autem Famianum vix unquam verbo supino, quod Grammatici vocant, in futuri temporis significatione uti, sed quasi semper participio passivo in dum exeunte, cum eum Alvarus suus docuerit, ejusmodi participio non tempus futurum, sed debitum officium aut necessitatem significari. Quod enim apud Cæsarē est l. 2. belli Civilis: Misericordia civium quod interficiendos videbat, pro, interfectū iri, fore ut interficerentur. Id vero singulare, adeo diligenter loquenti, aut cavendum, aut saltem parcius imitandum esse, viri elegantiæ Latinæ arbitri judicant. His ergo plus probasset Famianus, si hoc modo scripsisset: Orangius testatus fuerat, non a se ductum

ctum iri Annam, aut ducturũ ſe Annam negaverat, fortaſſis autem, conſignatis tabulis potius, quam obſignatis literis Orangio cum Auguſto & ſponſa convenerat, ſi nimirũ apertis ac patentibus tabulis iſtam pactam legem matrimonii complexis, ſigna eorum fuerant impreſſa.

Orangius Lipſiæ Saxonum urbe celebravit nuptias.] Hiſtoriæ conditori non minus pudendum eſt, Lipſiam Miſniæ civitatem in Saxonia, quam Patavium in Liguria, aut Mantuam in Piceno collocare.

Sacrum ordinem Cardinalatus libenter adoptant non ambitioſi, ſed providi.] Ridicule dicitur quis adoptare ordinem Cardinalium, cum ipſe in ordinem illum adoptatur, aut cooptatur.

Ne ſæpius Gallica narrando Belgicam narrationem interſiſtam.] Verbum, interſiſtere, quo Famianus & pag. 101. utitur, eſt ex Quintiliani ſingularibus, & ſignificat non procedere, nec gradum proferre, ut accuſativus ſe ſubaudia-

audiatur, quomodo in verbo ſiſtere ſubaudit Tullius, negat remp. ſiſtere poſſe, niſi ad ordinem Senatorium judicia referuntur, & Lucret: Nec mortale genus, nec divum corpore ſancto exiguum poſſent horas ſiſtere tempus. F. Tullianum magis foret: ne Gallica admiſcendo Belgica interrupte narrem, aut inſtitutam Belgicorum narrationem interruptam, id eſt, durare, permanere. Sed pro illo Quintiliani interſiſtere, Plautus dicit, remorari gradum, Cicero inſiſtere, reſiſtere, conſiſtere & commorari & ſuſtinere ſe.

Crebra reorum animadverſione Lutheri nomen plane delevit.] At enim animadverſio non eſt reorum, ſed ejus, qui in reos animadvertit, Cicero: Comprehenſio ſontium mea animadverſio Senatus fuit, id eſt, Senatus fuit in ſontes animadvertere, meum vero conſulis ſontes comprehendere, idem: Majores noſtri nunquam judicium nominaverunt, neq; proinde

ut rem judicatam obſervarunt animadverſionem & auctoritatem Cenſoriam.

Sed ferox hæc Tullia mitiori Tarquinio nupta erat &c.] Ecce tibi vetulum Ludimagiſtrum, inter epheborum ſubſellia, in memoriam Liviæ hiſtoriæ vos revocantem, ſed quod hiſtoriæ ſcriptorem deceat, nihil omnino penſi habentem. Ita qui mihi Livium legerit, non magis hunc Famiani locum, quam unumquodvis ſibyllæ folium intellexerit. Huic ſimile quiddam habemus pag. 246.

Alii aliunde nominis Hugenoti originem inclinant.] Latine dixiſſes, repetunt, arceſſunt. Agellium inclinandi voce ſimiliter uſum, homo doctus nihil morari debet, etſi nec ille, nec Nigidius originem inclinari ducit, ſed vocis inclinamẽtum vocat terminationem ſive exitum, ut inclinatione, tum verborum in OSUS, vinoſus, mulieroſus, religioſus, numoſus, immodicam quandam rei copiam ſignat.

gnat. Vox partim non inclinatur in caſus, pro, declinatur, flectitur.

Hæreticos, quoniam Hugenoti appellarentur, eo Catholicos nominare Papiſtas inſveviſſe.] In hoc ſcientem, volentem mentiri Famianum, complures Lutherum & aſſeclarum ejus ante Hugenoti nomen in Gallia exortum editi in Germania libri planiſſimum faciunt. Illi enim Catholicos Papæ, non tam propter quam contra Chriſtum, ſubjectos perpetuo Papiſtas appellant, quã etiã appellationẽ Jeſuita & ab eorũ diſciplina profecti amplá ſibi honorificamq; ducunt: parũ ſcilicet memores eos, qui dicũt: Ego ſum Petri, non minus, a Paulo Schismaticos cenſeri, quam qui dicunt: Ego ſum Pauli vel Apollo 2. Cor. 2. & 3. & 11. Chriſtiani ſumus, non Petriani, ait S. Auguſtinus in Pſ. 44. quanto ergo nunc indecentius nos Papiſtas vocavit, ex quo Papas in Chriſti perſecutione primas ferre S. Bernhardus palam queſtus fuit, quomodo

& Chriſtus ipſe in S. Brigittæ revelationibus Romæ editis lib. 4. c.142.

Sed hæc nomina ſunt, illud rem tangit, quod multi memoriæ prodiderunt.] Aliud eſt rem tangere, aliud rem attingere, ad eamque pertinere, quod nemo niſi in Cicerone hoſpes neſcire poteſt.

Alter aula circumſcriptus fratris ruina credebatur opprimendus.] Latinius & uſitatius fuerat, alterum fratris ruina oppreſſum iri credebatur, de quo genere, Famianus diſcipuli ſui Leonardi Velii diſcipulum Mariangelum a Fano benedicti conſulere poteſt in Avetario ſeptimo ad Grammat. Philoſ. Circumſcribere aliquem aula, eſt aulæ ſepto aliquem includere, vetando ſcilicet, ne aula pedem efferat. Famianus inſolenter eo ſignificat, ab aula proſcribere, vel ſummovere.

Concinere Davidis carmina incipiunt, præeunte Calviniano Pſaltrio.] Iſtud ego tam flagitioſæ ignorantiæ ſpecimen nequaquam impune dediſſem, alter ab undecimo cum me jam cæperat

annus,

annus, ſed neceſſe habuiſſem, jactura natis excipere culpam. Nimirum Pſaltriam Terentius, & Cicero fidicinam vocant mul ierem fidibus canentem. Itaque Pſaltrius Famiani judicio, recte dicitur Fidicen, ſeu vir canens fidibus. At enim ille Pſalter & Pſaltes dicitur. Pari modo quia Citharista, aut Citharædus eſt, a Famiani diſcipulis jam Citharistrius audiet. Ecquis homines magis Aſinos usque terrarum vidit? Nec refero, quod in oratione Ciceronis de Aruſpice reſpons: in quibusdam aditionibus ſolers, purpureisque faſciolis, a Strophio, a Pſaltrio, a flagitio, a ſtupro factus eſt repente popularis. Neminem enim niſi indoctiſſimum fugere poteſt, recte in aliis libris legi a Pſalterio, cum quo, pro Pſaltria Cladium ad Bonæ Deæ ſacra introductum fuiſſe in Sextiana idem Cicero teſtatur, quomodo & Scipio Æmylianus in oratione contra legem Tib. Gracchi de juventute queſtus fuerat.

Docentur præstigias inhonestas, cum Cinædulis & Sambuca, Psalterioque erunt in ludum histrionum. Ad hæc turpissimæ ignorantiæ Famianus absolvi nequit, qui Psalten aut Psaltriam recte vocari putet, alta voce sine ullis fidibus canentem. Melos in cantibus (ait Varro apud Nonium) bipartitum : unum, quod est in assa voce: alterum, quod vocant Organicum. Pueri antiqua carmina, in quibus laudes erant majorum, & assa voce canebant, & cum tibicine. Asconius in Divinat. Ciceron. Celeusma cani remigibus solebat, & per Symphoniacos, & per assam vocem, id est, ore prolatam, & ut in Argo navi, per Citharam jam Salvinianos, quos vocant, satis constat assa tantum voce Davidicos Psalmos canere, hinc nervis aut fidibus, & sine flatu. Itaque Præcentor ille, quem Psaltrium Famianus vocat, non male fortasse Varronianis de se versiculis prædicaverit.

Phonaſcus adſum vocis ſuſcitabulum
Cantantiumq; gallus gallinaceus.

Orangius adverſus repentina nunquam protectus.] Specimen τῦ κοινισμῦ. Improtectus eſt vox ætatis ferreæ, & hominis non nauci Agellii, cui niſi tot veterum fragmenta lenocinarentur, nullum, niſi Jeſuitam lectorem invenire poſſet.

Granvelanus propoſita Regis ſui gratia præ uno hoc Jove minutos reliquos Reges contemnebat.] Aliud pædagogici judicii ſpecimē: ſcuriles Plautinæ Scenæ jocos in rerum tam gravium ac ſeriarum hiſtoriā transferri. Nihilo majoris gravitatis eſt cenſura hæc, quam in Granvelæ conſilium exercet : Quaſi vero non poſſit quis non ſolum ictu fulminis, ſed etiam gregarii telo militis interire : aut non ipſi Jovi fulmen ab infimis elementis ſuggeratur. Cujus notionis cenſoriæ argumentum & ſententia eſt ; animi falſum fuiſſe, nec ſatis prudenter vitæ rationes ſubductas habuiſſe Granve-

lanum, qui Regis ceu Jovis tutela ac præsidio fretus, procerum Belgarum velut minutorum deorum offensam assis faciendam non putarit. Nam tametsi quis jovem habeat volentem propitium, ita ut ab ejus fulmine nihil ei sit periculi: nondum tamen ea Jovis gratia, sic undique munitum fore, ut mortem ei quivis gregarius miles afferre nequeat: Et quamvis vere rerum omnium Jupiter sit supremus, inermem omnino & imbellem futurum, nisi hæc infima fulmen ei suppeditent. Lectorum jam æstimationem esse volo, quantæ cum impietatis, tum stoliditatis ista censeri debeant.

Ne quid Regem lateret.] Non magis latinum esse, latet me, quam patet me, satis jam in Grammaticæ Philosophicæ præfatione, inque Rhetoricæ fragmento Mediolani edito demonstravi, etsi Poetas in eo Græcissantes metri necessitas excusat. Non magis tamen Famianus ab isto Solæ-

cismo

cifmo,quam Porcus Umber æluti volutabro abfterreri potuit.

Mos ille veftimentorum,quæ bis in anno præfcribebant, diu tenuit, donec Regis mandato defitum eft.] Manifeftarius vel turpis puero folæcifmus, nec Mos veftimentorum culpa vacat. quidni placuit? Mos nobilium veftimenta præfcribentium aut præfcribendi.

Adeo minæ,fi cum unoquoque adæquentur,unum quemque demum terrent.] Salvus fum, jam philofophatur Famianus & fententias loquitur Phœbi Cortina, aut Sphynge non indignas. Ego tamen Scioppius, non Oedipus, nec interpretari poffum cæptuofam oraculi dictionem. Quid eft, minas cum aliquo adæquare? an æque omnibus minas intendere,vel proponere, nullo magnorum & humiliorum difcrimine? fed ab hac fententia alieniffima eft vox unoquoque.

Granvelanus provinciam rexit minore pudicitiæ cura,quam fenem decebat.] Quid hic Famianus infimulet nefcio. Im-

pudicitiã in ſene notari intelligo. Eſt autem impudicus latinis, qui muliebris patientiæ legem, utque Satyricus loquitur, turgentis verbera caudæ, ſive alienam libidinem ſuperiore, aut inferiore gutture excipit. Seneca in procemio Controverſ. Quidam libertinum reum defendens, cui objiciatur, quod Patroni concubinus fuiſſet, dixit: Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium. Et Cont. 33. Principes viri contra naturam divitias ſuas exercent, caſtratorum greges habent, exoletos ſuos, ut ad longiorem impudicitiæ patientiam idonei ſint, amputant. id eſt, delicioſi alicujus manu recidunt, arcentque teſtibus, & inteſtabiles reddũt, quod nõ neminẽ ὀλοπόρφυρον nuper admodum Romæ, de ſpecioſo puero tonſoris filio feciſſe fama diſtulit: cui tamen magiſtrorum ſuorum Jeſuitarum paratum fore puto patrocinium. quippe qui concubini ſui impudici-

tiam

tiam ad majorem Dei gloriam contulerit, cum gregi Symphoniacorum inferendo, qui in Pontificio Sacello aſſa voce hymnos & laudes Deo concinunt, ita ut jam Deus laudetur, non tantum in Cymbalis, ſed etiam in cynædis bene ſonantibus, quod jam gaudium in cœlo coram Angelis Dei eſſe putabimus? cum Angelici ſui officii, quod eſt cantu Deum concelebrare, officioſiſſimos iſtos Cynædos habeant participes & collegas? Juſtinus extremo libro octavo: Philippus Rex Macedoniæ Artybam Regem Epiri pellere regno ſtatuit, atque Alexandrum privignum ejus uxoris Olympiadis fratrem, puerum honeſtæ puchritudinis arceſſit, omnique ſtudio ſollicitatum ſpe regni ſimulato amore ad ſtupri conſuetudinem perpulit. Cum autem ad viginti annos perveniſſet, ereptum Artybæ regnum puero tradidit: ſceleſtus in utroque, nam nec in eo jus cognationis ſervavit, cui ademit re-

gnum, & eum cui ademit, impudicum ante fecit, quam regem; quo tamen ſcelere vacaſſet, ſi Jeſuitas magiſtros nactus, ad majorem Dei gloriam omnia facere didiciſſet. In Pandectis Juſtinianus lib. 47. tit. 10. leg. 8. Si quis tam fœminam, quam maſculum impudicos facere attentavit. Et leg. 9. Attentari pudicitia dicitur, cum id agitur, ut ex pudico impudicus fiat. An ergo hoc ſignificare Famianus voluit, Neapoli Granvelano Proregi uſu veniſſe, quod de finitimis vel ſuburbanis Bajis Varro ſcripſerat: Ibi veteres pueraſcunt, id eſt, ſenes fiunt pueri, pueri autem puellæ, & æque omnibus impingitur puerile Apuleji corollarium, aut Plautinum peculium.

Uxori poteſtatem ademit omnem deliberandi, ſe non ante conſulto.] Neſcit Famianus aliud eſſe deliberare, aliud ſtatuere vel conſtituere. Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel, ait Mimus. Legimus quidem apud

apud Tullium: Certum ac deliberatum eſt mihi, abeſſe ex urbe. Mihi deliberatum & conſtitutum eſt ita gerere conſulatum. Ille ſtatuerat ac deliberaverat non adeſſe: nec tamen propterea obſcura & dubia eſt vera ac propria verbi ſignificatio, ut nimirum deliberare ſignificet conſultationem antecedentem, ſtatuere vero decretum conſequens.

Evocati ad ſe primores quique divinæ facultatis interpretes & conſulti, quid ſentirent: negavit Rex illos accitos fuiſſe, ut docerent.] Primum ridicule Theologos vocat divinæ facultatis interpretes (quis enim per divinam facultatem ſignificari putet ſacras literas?) Deinde oratio eſt ἀνακόλουθος membris ejus minime aptis, aut cohærentibus, quod vitium evitaſſet, ſi evocatis & conſultis primoribus interpretibus dixiſſet.

Deum obſecremus, ut nobis altero filio indulgeat.] Latinius fuerat alterum filium. Poteſt tamen hoc tolerari

præ-

præpoſitione ſubaudita, quomodo apud Terent. Veſtitu nimio indulges, pro, a veſtitu, quod ad veſtitum attinet, ſive quoad veſtitum, quomodo Famianus pag. 106. locutus fuerat: Quoad concilii curam, Margarita nihil remiſſura erat. Hoc autem barbare dici, jam eum docueram Grammaticæ pag. 75. & in AuctarioGrammat. pag. 21.

Avitæ religionis dogmata hactenus edocti, quoad ſatis haberent.] Ut Catholice domi viverent, non autem ut foris, ſi forte circumvenirentur, diſcrimen veri falſive dignoſcerent. latine ſic loqui debuit: Hactenus edocti, ut Catholice domi vivere poſſent, non autem ut foris, & inſectariorum congreſſu vero falſum dignoſcerent. Hactenus conciſe, ſeu per Ellipſin dicitur, pro hac fine tenus, ad hanc usque finem, & non ultra, quoad, per Anaſtrophen, ſive inverſionem dicitur pro ad quo, ſive quæ, ſuppreſſo tempore aut loco, velut monui Grammat.

mat. pag. 58. & Annot. in Paradig. pag. 56. Civem hoſte, curvum recto dignoſcere, Latinum eſt: fatuum vero, curvi & recti diſcrimen dignoſcere.

Cui non paratum eſt ab antidoto remedium.] Ridiculum perinde ac ſi diceret: parata a remedio medicina. Quid enim eſt Antidotum ſive Antidotus niſi remedium adverſus venena?

Repotatio reſtituta eſt.] Potatio potius fuit inſtaurata, nam repotatio non aliud eſt, quam potationis reſtitutio.

Figmenta ſua non eſſe diuturna.] Aurea & Argentea latini ſermonis ætate Figmenti voce, neminem uſum comperio. Commentum potius uſurpabant. Apud Aſconium quidem ſemel invenio Figmentum, pro confictione, aut re ficta. Sed quis Aſconium præſtiterit ita ſcripſiſſe, cum alia manifeſte barbara ejus verbis poſteriores alleviſſe conſtet.

Cupere

Cupere se ad Pontificis repræsentari pedes, ac venerabundam osculari.] Ipsum ne an pedes ejus? ambigua namque est oratio, planior futura sic esset: eosque venerab. osc. Nunc movetur suspicio, quæ osculari cupiat, venerabundam eam prurire, ac delicias cum Pontifice velle facere. Venerari enim vulgo Romæ dicebantur, qui sacra Veneri faciebant, seu libidinabantur. Hyginus mytthol. fab. 75. Tyresias dracones venerantes dicitur baculo percussisse. Itaque Venerabiles Patres nihil Patribus patrantibus intersunt, quasi venerabiles vocarentur.

Libros impurissimos evulgare, & picturas contumeliis ludibriisque in Regem infames exponere.] Latini libros famosos aut ignominiosos, Carmina famosa vocant, non infames, qui ad alterius contumeliam & infamiam pertinent, infames in aliquem, non sine infamia Famiani dicitur.

Gubernatrix fuit aliena, ut potestatem fecerit

fecerit creandi Magistratus.] pro longe ab eo abfuit, ut potestatem faceret. Alienus hoc modo latine non dicitur.

Illis permissis, ut venirent.] Permissum dicendum fuerat, quod significat, postquam eis permissum erat. Latine nequaquam dicitur: Ego permittor venire, sed permittitur mihi venire, nam Asconium hic nihil moror.

Horum nemo capi tum qvidem potuit, clam urbe egressi.] Oratio κακοσύνθετος nec satis inter se apta ejus membra, quod vitium corriges, si dicas: quippe qui clam urbe egressi essent, sive se proripuissent.

Se Regi navaturos operam adversus eos, qui Regis nomine designarentur, sine cujusquam exceptione.] Obscure dictum. Cum enim verbis designare, sit idem quod significare, accipi potest, eos arma laturos adversus omnes, qui regio nomine appellantur. Vult autem Famianus dicere adversus omnes

quos

quos Rex vel miniſtri ejus ad cædem deſignarent, ſive hoſtes declararent.

Gubernatrix non paſſa iterum audire Buſcoducenſes, per Cancellarium jubet eos redire domum.] pro cum iterum eos audire non ſuſtineret, ſive animum induceret. Quis patiendi verbo ſic unquam uſus inveniatur, non facile mihi Strada dixerit. Magiſtro ergo Minerval paret licebit, ſi ei libet a me diſcere.

Defectum viribus atque intermortuum relinquunt.] Nemo aurea latini ſermonis ætate defectum dixit, quem res aliqua deficit, orbum, carenſem, deſtitutum. Argentea demum ætate, qua lingvæ latinæ uſum perimi cæpiſſe Seneca teſtatur, ita locutos comperio Phœdrum lib. 5. fab. 87. Acceſſit alter æque defectus pilis, id eſt, calvus. Petron. Lucernæ humore defectæ. Ridicule autem Nicolaus Rigaltius defectum annis interpretatur, quem anni deficiunt, qui annos non trahet, in iſtis Phædri ejusdem ver-

versibus lib.1.fab.21.

Defectus annis, & desertus viribus.
Leo cum jaceret, spiritum extremum trahens.

Est enim hic Leo annosus, multos annos habens, annis obsitus, senectute consitus. Nescit nimirum Vir doctissimus, argentea ætate defectus dici solitum pro eo quod prioribus ac melioribus fuerat confectus, fatigatus, defessus. Virgil. II. Æne. ævo confectus Aletes. Et 4. Aen. confectum ætate parentem. Lucret. lib. 3. si tibi non annis corpus jam marcet, & artus confecti langvent. Cic. Senectute confectus. Virg. 2. Æn. fessum ætate parentem. Lucret. 6. Lacrimis lassi luctuque redibant. Et lib. 5. Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura cunis exercent hominum vitam, belloque fatigant, id est, male habent. Eadem sententia affectum, consumtum, perditum, afflictum, usurpabant, sed posteriores, ut dixi, defectum. Senec.

Epist.

Epist. 58. de senectute: si modo mens sine injuria est, & integri sensus animum juvant, nec defectum & præmortuum corpus est. Columel. lib. 5. cap. 6. Arbor senio defecta, pro deficiens. Tacit. 4. Annal. Lentulus senectutis extremæ, Tubero defecto corpore, id est, debili, velut Phædius fab. 60. Mustela annis & senecta debilis.

Sparso adventu Regis exterritus.] Adventus non erat sparsus, sed rumor adventantis Regis.

Nulla per Belgium urbs, nulla uspiam arx fuit, quæ non Regis clementia se tradiderit.] Nondum didicit Famianus, quid inter uspiam & usquam intersit. Uspiam significat alicubi, cui contrarium est nusquam, seu nullo in loco, pro quo, plebs Romana dicebat nullibi, Jesuitæ satis barbare quidem, Nuspiam. Cic. de Legibus: Lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, ille est injustus, sive est illa scripta uspiam,

sive

ſive nuſpiam. Idem ad Att. lib. 1. Non dubitabam, quin ille te Dyrrachii, aut in iſtis locis uſpiam viſurus eſſet. Idem 6. Verrin. Quam crucem non eſt auſus uſquam defigere, niſi apud eos, quibus cum omnia ſcelera ſua communicaſſet, pro ullo in loco. Ubi ſi dixiſſet Uſpiam, nihilo latinius locutus fuiſſet, quam hoc loco Famianus.

Si Rex armatus in Belgium meditaretur.] Aut armatus adventaret, aut arma meditaretur, dicendum fuerat: quomodo Propertius: Arma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos.

Nullos eſſe populos, qui ſervitutis nomen magis exſecrentur, magis patiantur.] Aut mentitur Famianus, aut fatuatur. Cenſuit Carolus, Belgis non tam ſervitutem horrori & exſecrationi eſſe, quam ſervitutis nomen.

Granuelanus e Gubernatricis latere, e reipubl. clavo deturbaretur.] Nullus hic locus eſt præpoſitioni e, vel ex, ſed a vel de. Nec enim in latere, aut in clavo,

clavo, ſed ad latus & ad clavum ſederet.

Ne penes alios potentia transferatur.] Turpis ac vix puero ignoſcenda Famiani eſt inſcitia, qui neſciat penes ſignificare locum, ubi quid ſitum eſt, non autem motum ad locum. Penes illum eſt poteſtas, imperium, victoria, laus, culpa, virtus, eloquentia, latine dicitur: ſed penes alium poteſtatem transferre, pro ad alium, barbarum eſt, nec niſi Jeſuitarum ſcholis dignum.

Subditos ſe eſſe obliviſcerentur.] Subditus latine non uſurpatur, pro eo, qui eſt ſub alicujus ditione & imperio, alicui ſubjectus, nam ſubdere, eſt dare in locum alterius. Inde puer vel partus ſubditus aut ſubdititius, tergum ſuum alienæ ſtultitiæ ſubdere ſuccidaneum, pro aliena culpa tergo luere. Apud Tibullum tamen lego lib. 4. Vidit ut inferno Plutoni ſubdita regna, quod eſt ſubjecta. Et apud Pers. Liber ego unde datum
hoc

hoc ſumus tot ſubdite rebus. Sed ſubditus abſolute, pro parens nusquam legitur. Salluſt. Catil. Libertatem, patriam, parentesque armis tegere. Et Iugurth: Parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum ſatis fuit, Seneca: ſequi parentis eſt. Regere imperantis.

Latoris dignitas.] lator, pro tabellario, qui literas perfert, minus bonæ notæ vox eſt. Nam quod apud Cornelium Nepotem in Alcibiade vulgo legebatur. His latoribus commotus: recte ex membranis correctum eſt: His Laco rebus &c.

Albanus Nobilitati ſe per honorificum præbet.] Inſolentia non vacat, hominem honorificum dicere, qui verbis aut factis honorem alteri habet. Verba aut res alicui honorifica, uſitate dicitur.

Gubernatione apud Albanum Ducem translata.] Et 366. Advocaret ad ſe puerum, pro ad ſe accerſeret. Etiam hoc

hoc Famianus non nisi natali supplicio expiaverit, qui nesciat, quis particularum ad & apud, usus sit, cum præsertim id multo ante Ciceronis ætatem Lucilius, versiculis istis dare docuerit:

Nam velut sintro, aliud longe esse, atq; intus videmus:
Sic apud te longe aliud est, neq; idem valet ad te.
Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

Rex tamdiu definitionem distulit, donec diversas & pugnantes sententias sua quaque utilitas conciliavit.] Nec definitio latine dicitur ejus, cujus in pectore constitit agendæ rei consilium, sive qui perrogatis aliorum sententiis capit, seu format aliquid agendi consilium, aut in certa sententia consistit, quidque acturus sit, constituit: nec conciliare diversas sententias cujusq; utilitas potest, id est, ad concordiam adducere, cum aliam alia conciliet utilitas, sed commendet gratamque reddat.

reddat. Quomodo apud Cic. legimus: Frui iis rebus, quas primas homini natura conciliat, ſimul atque natũ ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe amandum. Feras inter ſe partus & educatio conciliat. Et apud Petron. Tanta gratia conciliabat vocem loquentis. Epulæ conciliant hilaritate convivium.

Magiſtratus exauthorandi.] Nemo exauctorari poteſt, qui auctoratus non fuerit, id eſt, pecunia accepta ſe non vendiderit, quomodo Milites bello, & Gladiatores ludo auctorantur, & operæ, quam addicunt, pretium accipiunt, quod Auctoramentum dicitur, aut Gladiatorium, ut ſubauditur, pretium. Livius lib. 44. Vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege Rex in eam fortunam recidit. Seneca 2. de ira 13. Ad finem operis non magno auctoramento labor pervenit, item: Nullum ſine auctoramento malum eſt, ava-

ritia pecuniam promittit, id est, sine præmio vel emolumento. Quis autem Magistratus sic auctoratos, ut mercede conductos dixerit? Ciceronis est: Magistratum alicui abrogare; Livii abolere: Legimus etiam apud Tullium: Senatus Quæstorem a frumentaria procuratione amovit, eique rei Scaurum præfecit. Pro quo Famianus diceret: Senatus Quæstorem exauctoravit. Testatur Festus, Abactos magistratus dici solitos, qui coacti imperium deposuissent. Abigere ergo magistratum Latinis est idem ipsum, quod Famiano Exauctorare. Nam abdicare se magistratu, sive, ut Livius loquitur, abdicare magistratum, similiterque abire magistratu dicitur is, qui voluntate sua, non coactus eum deponit. Prorsus autem ignorasse Famianum, quid Auctoramentum significaret, hæc ejus verba argumento sunt, pag. 367. Quod præmium videbatur, gradus fuit ad novi decoris

ris auctoramentum; stolide videlicet sibi persvasit, nihil auctoramentum augmine, accessione, amplificatione, vel incremento interesse, etsi pag. 194. novo auctoramento se obstringere, nihilo rectius dicit, pro novo sacramento adigi.

Tumultuum causas cognoscendi plectendique.] Quid autem plectere Albanus jussus fuerat? an causas tumultuum? qui vero id potuit? Est Famiane, quod fatuatum te fateare.

Res Belgicas magnis utrinque exercitibus funestatas dicere aggredior.] Non exercitus, sed conflictus & clades Belgium funestarunt.

Causam malorum in Albanum Ducem referri.] Insolens hoc: pro quo Cicero: Causam vel culpam in alium conferre, transferre, derivare.

Albanus jactura potius, quam præsagitione commotus.] Fugit Famianum ratio, cum pro ostenso, portento, monstro, prodigio, præsagitionem dixit. At enim Albanus ex Mechliniensi in-

cendio nihil mali animo præſagiebat, ſeu divinabat, vel ominabatur, quod ipſe quoque Famianus ſignificat.

Antverpiæ arcem fundabat, quæ arcibus poſtea fundatis exemplar exſtitit.] jam ſupra monui, fundare, non eſſe fundamenta jacere, condere, vel ſtatuere, ſed conſtabilire, beneque firmum ad defenſionem efficere.

Si quis ipſe dominiis exueretur.] Minime latine Dominia dicuntur oppida, caſtra, aut prædia dominio alicujus ſubjecta.

Si ſecus, ut ſperabat, eveniret.] Nequaquam ſperantur, quæ ſecus eveniunt, ſed metuuntur, ſuntque abominationi. Eſt quidem ſecus vocabulum μέσον, non minus atque aliter, ut indiſcriminatim ſecundos & adverſos eventus ſignificet, nihilominus κατ' εὐφημισμὸν, ſive boni ominis cauſa, utque βλάσφημα vitarent, aut male ominatis verbis parcerent, pro male, infeliciter aut parum proſpere, Secus & Aliter dicere ſolebant:

bant: quomodo etiam teste Festo, in auguriis pro non bono, dicebant Alter. Et Senatores pro dissentire; dicebantur alia omnia sentire, in alia omnia frequentes ire, vel discedere: Sic valeant, pro pereant, sacer pro exsecrabilis, detestandus. Terent. Prolog. Andr. verum aliter evenire multo intelligit. Virg. 2. Aen. Diis aliter visum. Cic. si qui in prædones inciderint, aliter quippiam coacti faciant, id est, turpiter. De tuo in me animo videris iniquis secus existimandi non nihil loci dedisse. Nihil unquam de illo secus est existimatum. Itaque rectius Strada dixisset: Si prospere, feliciter & ex sententia, ut sperabat, eveniret.

Odium Caroli Principis in familiares & continuos patris.] Neotericum est cum Tacito, continuum alicujus dicere, pro assiduum, perpetuumque comitem lateri adhærentem vel adjunctum.

Confessarium sponte accersiit.] Quis

verbi barbariem ferat? Si rei novæ novum fingere nomen necesse erat, quid est cur non conscientiarium potius diceret, aut conscientiæ arbitrum ac moderatorem?

Ex dote germanæ uxoris.] An Barbansonius velut Jupiter sororem Germanam in matrimonio habebat?

Albanus Dux ab aliorum consiliis ultro præsertim oblatis aversus, ac sidus plane retrogradum.] Insigne pædagogici judicii specimen. Metaphora ista vix in bajulo aut fossore aliquo tolerari posset. Refractarium tolerabilius dixisset, instar aselli male parientis aut equi recessim euntis, ὡς ἵππον ἀναποδίζοντα.

Ego autem plurimum odio in Albanum deterreri nequaquam debui, quin ut acceperam, memorarem.] Deterretur ab odio, qui odisse desinit, quanto planius fuerat: Me plurium odium deterrere non debuit.

Divi Hispaniæ tutelaris auxilio.] Similiter pag.262. Diva Leucadia Toletanæ

letanæ urbis tutelaris. Tutelaris caussa Ulpiano eſt, in qua de tutela ambigitur. Deus tutelaris nunquã legitur, niſi apud Macrobiũ ferreæ ætatis ſcriptorem, cujus alia non pauca ſunt, cũ palã barbara, tũ ſolæca. Ciceronis & Curtii eſt: Deos Perſarũ imperii præſides & cuſtodes ac propugnatores.

Eodem loci temporisque veſtigio.] Quod temporis poſſit eſſe veſtigium, nec ipſe nobis Cæſar facile enodaverit.

Odio in Auſtriacam Hiſpaniæ domum.] Quid vero eſt, cur Auſtria domus Hiſpana potius, quam Germana cenſeatur. Ipſi Hiſpani, niſi à Judæis, aut Saracænis Mauris profecti videri velint, ſe Gothicæ aut Sueuicæ, id eſt, Germanicæ ſtirpis eſſe jactant.

Ut Orangium a transmittendo flumine deterreret.] Imo vero prohiberet, nam prohibere, eſt facere, ut ne quis poſſit: Sed deterrere, ne velit vel audeat. Cũ quis dicitur mare aut flumẽ transmittere, non eſt, quod Famianus pu-

tat, Syntaxis verbi agentis & quarti casus. Hic enim a prępositione trans regitur, & subauditur se similiter, ut in trajicere mare Valer. Max. lib. 5. cap. 1. Naves ut prospicerentur, quibus se tuto in Africam trajiceret. Cic. Si quo casu fluvium se trajecerit. Marcus parva navicula trajectus est in Africam. Non ergo mare fuit trajectum aut transmissum, sed Marcus navicula (trajectus est in Africam) se misit, vel jecit trans mare, Virg. 3. Aen. Quin ubi transmissæ steterint trans æquora classes. Non ergo satis ex ætatis aureæ consvetudine dictum est illud Livii lib. 21. Conatum tam audacem trajiciendarum Alpium; nisi per Hyppallagen exponatur.

Sub Urbano VIII. Pont. Max. hæc literis tradere, ego in parte felicitatis duco.] Nec sane Famiane, falleris. Quis enim Romæ animum inducat ad te provisere, utque scrinia tua edas sibi postulare, ne forte ab alio & ad alios

de

de rebus Belgicis perſcripta tu ad ſubdititios Barbarinos, eorum qui rerum nunc potiuntur, gratiam aucupabundus callide transtuleris? Cardinalis certe Bentivolius rerum Belgicarum non minus acer & diligens indagator, quam gravis ac politus auctor, ſe de iſto equite Barberino, tantarum rerum participe, & internuncio quicquam aut ſcriptum usquam, aut fictum, aut pictum inveniſſe negat, velut ab iis, quibus merito ſatis credo mihi confirmatur. Leonardus etiam Vellius Romanus Jeſuita, quicquid Magiſter ſuus Famianus de Barberino iſto commemorat, haud dubie patriciarum artium ſpecimen eſſe, eoq; commento Barberinorum, qui Romæ nunc dominantur, gratiam captari judicat, cum Mediolani inter acroaſeos ſuæ Rhetoricæ ephebos Barberinorum nobilitatem ludum jocumque facere, eosque Tabanos Barberini oppidi ſellulariæ operæ artifices relegare penſi non ha-

buerit, quomodo in libello Arcanorum ſocietatis Jeſu pag. 164. videre licet. Itaque ne ſit, quod Famianum in palpando pontifice ac neceſſariis ejus, felicitatis ſuæ pœniteat, auctor ei fuero, ut Vellium diſciplinæ ſuæ alumnum Florentiam amandet, ibiq; ad S. Crucis complurium patriciarum ejus urbis familiarum inſignia, quæ ducentis abhinc annis in pariete depicta oculis colluſtrare jubeat. Ibi enim Barberina inſignia tribus Tabanis conſpicua inveniet, ac nobilitati eorum ſtatus controverſiam movere deſinet. nam quod Tabani illi hodie in totidem Apiculas verterunt, nec jam ut olim os aculeo armatum gerunt, non eſt, quod quis Apoſtolico potius miraculo aut oſtento, quam quadam naturæ vi contigiſſe ſuſpicetur. Omnia commutat natura, & vertere cogit, ait Lucretius, quod de natura, adſpectu aliquo forte excitata ac rigente nemini novum videtur.

Cæſis

Cæsis aliquot Vitellianis, reliquos effuse fugavit.] Tametsi effuse fugere dicitur, qui se in fugam effundit, minime tamen latinum est, effuse aliquem fugare.

Quo successu prælia quotidie agitarentur.] Nec agere, nec agitare prælia latine dicitur.

Sclopo appetitus.] Si apud Persium Sclopus sonum significat ex inflatis buccis erumpentem (ut docti volunt) quis tandem ex omni antiquitate percipiat, quid hic sibi Famianus velit? cui ut concedatur, sic appellare tubum, glandes plumbeas intrati pulveris vi ejaculantem, quoniam in Italia Sclopo vulgo dicitur, nondum tamen tam sclopo, quam glande, aut pila appetitum esse recte dixerit.

Albanus exercitum sedecim millium bellatorum trahens.] Minime latinũ est, trahere exercitum, sed ducere. Ac tanto quidem hoc loco alienius est trahendi verbum, quod mox extremum Albanus agmen duxisse dici-

tur, quomodo enim exercitum trahere poteſt, qui agmen ejus cogit vel claudit?

Veriti ne univerſo in eos exercitu Albanus incumberet.] Invaderet, dignum erat re tanta vocabulum.

Barberinus ſuadebat Albano duci oportunitatem capeſſendæ pugnæ.] Inepte iſtud, qui enim vel quomodo oportunitatem, occaſionem, caſum, ſortem aut fortunam alteri ſuaſerit? Nimirum ſvaſit ille, quisquis fuit, ne tam optatam rei bene gerendæ occaſionem amitteret. Id quippe in manu ejus ſitum erat, adeoque ſuaderi poterat.

Denſam circum Vitellium cohortem aperiunt ac proturbant.] Inſolentiam habet aperire cohortem, pro diſiicere, diſſipare, diſturbare.

Orangius Gallico auctus auxilio reparaſſe cladem videbatur.] Clades farciri vel reſarciri recte dicitur, reparari non item. Id enim eſt iterum parari. Horat. res amiſſas reparare, pro

recu-

recuperare, ſive in amiſſarum locum alias parare. Lucret.2. Quod fregiſſet adhuc anteacti temporis ætas. Id nunquam reliquo reparari tempore poteſt, id eſt, refici, ut ipſe mox Poëta interpretatur. Ita Virg. Irreparabile tempus dixit, quod ſemel præteritum rurſum parari nequit. Nec refert, quod Ovidius reparabile damnum dixit. Damnum enim eſt illa pecuniæ aut rei familiaris pars, quæ de ſolido demitur, adeoque reparari poteſt, cum longe aliter ſit in clade. Eam enim nec parat ſibi quiſquam, nec reparat.

Albanus mittit in Galliam pro Carolo Rege duo equitum millia.] Dixiſſet potius: Carolo Regi ſubſidio, aut ſuppetias mittit. Nam pro aliquo mittere, ſignificat alicujus loco mittere.

Non parum ad victoriam à Catholicis relatam Mansfeldius contulit.] Quid tandem eſt victoria à Catholicis reportata (hoc enim Latinius eſt, quam relata) niſi quam à Catholicis hoſtes

eorum reportarunt? Sic enim Cicero loquitur in Maniliana: Imperatores nostri victoriam a Mithridate reportarunt: Itaque si victoriam a Mithridate reportatam Cicero dixisset, nemini posset esse dubium, quin Mithridatem victum significarit. Similiter Cæsar belli Civil. lib. 5. se ab adversariis cruentam adeptum victoriam. At enim Famianus Galliæ Catholicos ab Hugenotis victoriam reportasse dicere voluit, quomodo & pag. 329. Actiaca victoria à Cæsare Octaviano relata, pro victoria quam ab Antonio retulit, quoniam velut bona fide Grammaticus minime magnum bonorum auctorum usum habens, verbis passivis cum præpositione a rem agentem significari persuasum habuit, quod quantæ sit stoliditatis & ineptiæ, vix justo volumine satis explicavero. Plaut. Trinum: Censebit aurum à Patre allatum, id est, quod Pater tabellario afferendum dederit, nam ibidem legitur.

gitur: Aurum a Patre fert, dotem filiæ. Aquæ gutta a me ferri non poteſt, pro hinc guttam ferre non potes. Decet id abs te impetrari, pro me id a te impetrare. Terent. Ut ab illa excludar, pro ut pater ab illa me excludat. Cicero. A me diligentia expectatur, quod non eſt: ego diligentiam exſpecto, ſed alii eam a me expectant. Nunciatum eſt nobis a Varrone, veniſſe eum ab Roma, id eſt, ſervi a Varrone veniẽtes eum veniſſe nunciaverunt. Nuncii a Parthis afferantur, id eſt ex parte Parthorum. Emtum eſt a Siculis frumentum, id eſt, Romani a Siculis emerunt. Ab hoſtibus defendi, pro adverſus hoſtes. Ille a quo ſalus petitur, id eſt, unde ſalutem alii petunt. A Pompejo virtutum exempla ſumantur, id eſt, alii inde ſumant. Mulier a tibicine abducta eſt, quod ipſe Cicero interpretatur. Verres a tibicine mulierem abduxit. Cæſar. Pecuniæ a municipiis exigantur, pro alii eas exi-

exigunt a municipiis. Salluſtius: Quid aliud ab Annibale defenſum eſt, quam libertas? pro quid populus Romanus ab Annibale defendit, niſi libertatem. Livius. ut captivi ab Annibale redimantur, pro ut Romani captivos ab Annibale redimant. Eas clades a Gallo acceperunt. A Latinis res repetitæ, id eſt, Romani a Latinis res repetierunt. Valer. Max. A Scipione in Curia ratio poſcebatur, id eſt, tribuni rationem poſcebant a Scipione. Virg. Heu mihi qualis erat, quantũ mutatus ab illo Hectore. Tandemne igitur Patres patrati & patrantes Jeſuitæ minus vos, quam occiſam ſuem in literis ſapere intelligitis.

Albanus Dux ejecto extra Belgium citra univerſum certamen Orangio multis hoſtium, paucis ſuorum amiſſis, triumphanti ſimilis Bruxellas intravit.] Citra certamẽ, pro ſine univerſi certaminis alea, (ut eſt apud Livium) minus latine dicitur. Nam argentea demum latini ſermonis ætate citra, pro ſine uſur-

ſurpari cæptum eſt. Tum multis hoſtium cæſis dictum oportuit. Nec enim hoſtes quisquam, ſed ſuos milites in præliaribus pugnis amittit.

Homo in gloriam apud poſteros intentior, quam ex præſentium offenſione timidus.] Elegantia poſtulabat: timidior. Nondum tamen ſatis plane, quod dictum Famianus voluit, exprimitur. Albanum ſcilicet præſentium offenſam minus timuiſſe, quam poſteri temporis gloriam adamarit. At enim timor eſt futuri, adeoque non tam ex offenſione pręſentium, quam concitando eorum offenſionis timidus dici debuit, aut vitandæ offenſionis ſtudioſus.

Operis inventor Arias Montanus.] Ne temere hoc de ſpectatiſſimæ pietatis ac virtutis viro quiſquam Jeſuitarum mihi perſvaſerit, cum haud me fugiat, quas illi cauſas habere ſibi videantur, cur ſummum virum ac præclariſſime de Eccleſia Dei meritum, omni auctoritate ac virtutis opinione exu-

tum

tum cupiant: in Bibliis quippe Regiis ejus ſtudio ac labore vulgatis inſertus eſt cōmentarius ejus, de varia librorū Hebraicorū ſcriptione, ubi homines ſocietatis iſtius, eorumque cacoethes malignitatem, & erga optimum ac doctiſſimū quemque livorem & obtrectationē totidem verbis deſcribit: *Sunt quidam, qui cum ſoli ſapere, ſoli bene vivere, Jeſumque propius inſequi & comitari (ſeu ſocii ejus eſſe) ſibi videantur,* id palam profeſſi jactitent, me, qui minimum atque inutilem Chriſti diſcipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi, quod neminem, qui alios bene audiat, palam improbare audent, aliorum, quos eam ad rem occulte poſſunt inducere, ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos nec artes fallunt, nec Gregem, (ſeu Societatem) prodere aut cognomen judicare juvat. Utuntur quidem illi magno & inacceſſibili ad ſuas res agendas myſterio, ſed quod facile iis, qui ſimplicius apertiusque

agere volunt pelluceat, quodque non multo post multos annos tandem aperiendum est veritati illius, qui illuminabit abscondita cordis & occulta tenebrarum. Tum laus erit unicuique secundum opera sua.

Extat etiam ejusdem ad Philippum II. Hispaniæ Regem epistola ex Hispanico sermone Latine conversa, cujus exemplum subjicio:

Sacra Catholica Regalis Majestas.

TAnquam fidelis & obligatus servus secundum simplicitatē Christianam & pro fide in omnibus illis debita, quæ ad Dei vestræque Majestatis servitium & ad rectā Rerump. ipsi subjectarum administrationem pertinent, ut eo nomine, quantum in me est faciam, testor ac moneo, unam illarum rerum, quas Majestas V. Gubernatori ac Ministris, qui in Belgio sunt aut posthac erunt, severissime debet injungere, esse istam, ut cave-

caveant Jeſuitis commiſceri, ne quicquam negotiorum cum illis communicent, neque ad id, quod nunc habent auctoritatis vel opum in his provinciis, ullam acceſſionẽ faciant: in ſpecie autem, ut Gubernator Belgii nemine illorum pro Prædicatore vel Confeſſario uti audeat, Deo enim & conſcientia teſte, perſpectum habeo, tam hoc, quam quicquam aliud referre ad rem Majeſtatis V. & ad liberam exſecutionem boni regiminis harum provinciarum. Et Majeſtas V. pro certo habeat, perpaucos in Hiſpania inveniri, extra ipſorum Societatem, qui pluribus & certioribus, quam ego, argumentis perſpectum habeant, quæ ſint illorum prætenſiones ſeu ſtudia, qui fines, quantoque ingenio & conatu ad fines ſibi propoſitos connitantur, ſimiliterque de multis eorum rebus particularibus, quibus obſervandis non ab uno, ſed jam inde a quindecim annis animum adverti. Albanum Ducem in iis, quę ipſo Guber-

bernatore affectarunt, aliquanto trepidiorem fuisse accepi, neque dubito, quin eum ad id impulerint causæ ad rem Majestatis V. pertinentes : quo nomine prius privatim, post etiam publice, de illo dolentissime questi sunt. Nunc ipsum vero ob allatum de novo Gubernatore nuncium triumphant, & gloriose jactitant se apud illum plus, quam vellent ac postularent, commoditatis & auctoritatis habituros. TOTUS enim NOSTER est, ajunt illi, solemni inter illos loquendi formula. Neque vero dubium habeo, quin enixe facturi sint, quicquid poterũt, ut voto potiantur. Visum mihi est, pro eo ac debeo ejus rei Majestatem V. peculiari epistola certiorem facere, quam Gastelo perferendam credidi, etsi ille argumentum ejus ignorat : nec enim me præterit, quos passim exploratores habeant, ut, quid de suis & alienis negotiis agatur, resciscant, quantique nocumenti, & quam tectas exerceant inimi-

inimicitias contra minoris auctoritatis homines, quos quovis modo rerum suarum quicquam non satis ex sua libidine attingere intelligunt. Negotia particularia literis perscripta Majestati vestræ tædium afferrent. Ego aliud nec desidero, nec postulo, quam Majestati V. inservire, nec quicquam ei molestiæ adspergere, cujus regiam personam & coronam Deus longum prosperet ad sancti sui nominis gloriam. Antverpiæ a.d. 18. Febr. anno 1571.

S. C. R. M.

besa les pies de V. M.

su Capellan y criado Benito

Arias Montano.

NImirum non de nihilo Arias metuebat, ne homines imperii, gloriæ & opum inexplebiles, eadem sævitiæ & immanitatis disciplina Belgii præfectos imbuerent, qua Regem ipsum etiamnum juvenem prius ab

eis occupatum noverat, qua de re ne cui ſit dubium, libet Orlandini ex hiſtoria Jeſuitica verba recitare, quæ lib. 5. ſegmento 81. inter eventa anni 1545. leguntur. Ne quem commoveat, quod Faber & Araozius Philippi Hiſpaniarum Principis curiam coluiſſe (id eſt plus Aulici, quam Religioſi fuiſſe) dicantur: a qua potius longe abeſſe, ſi diſciplinæ rationem conſulas, oportebat. Illis enim initiis vehementer intererat naſcentem ſocietatem & obſcuram, & quam Satanas malevolorum ſermonibus (Melchioris Cani puta, & aliorum gravium virorum, qui Ignatii ac ſociorum ejus ſpiritum, utrum ex Deo eſſet, probandum, nec temere eis credendum monebant) omni ope conabatur obruere. ANTE OMNIA ſummis probari capitibus (ſine Principibus Dei inimicis & furum ſociis placere Iſa. 2) ut inde ad ſubjectos populos tanquam ſemen ſuæ propagationis acciperet (& quoniam Jeſum,

qui

qui ſe Romæ propitium eis futurum, ac Vicario ſuo Pontifici de meliori eos nota commendaturum promiſerat, minus in Hiſpania ac Romæ poſſe apparebat, ipſi brachio carneo ſæcularis Principis adverſus Satanam tegerentur.) Nec tamen Aræozium omnino laudabat Ignatius, qui quanquam non ſine publico ingenti bono, tamen plus nimio videbatur Procerum conſuetudine uti. Hujus tamen poſtremi non ita facile fidem mihi Orlandius fecerit. Primum enim ut hodierni Jeſuitæ, & ipſe ſocietatis Patriarcha Mutius magnopere contendunt, in ſocietatis corpore etiamnum conſiſtit ſpiritus ille, quo primum animata coaluit, isque non modo non emortuus,ſed etiam valens ac vegetus, hodie autem in ſocietate, præcipue vero in primoribus ac ducibus ejus vigere ſpiritum Auliciſmi & ſæcularitatis, aſſimulatæque religionis ac pietatis ipſum Claudium Aquavivam ſupra ad pag. 3. ingenue con-

confitentem habuimus. Cui consequens eſt,ut non minus Ignatium ac primos ejus ſocios, quam ætatis noſtræ Jeſuitas Aulicismi, ſecularitatis, aſſentationis, ſimulationis ac diſſimulationis affines fuiſſe concedatur. Deinde Ignatium ad ſuſceptum Eccleſiæ miniſterium Chriſti & Apoſtolorum artibus, rationibus ſeu mediis nequaquam contentum fuiſſe, ſed præterea etiam Satanæ artibus ac modis utendum ſibi putaſſe, ipſi Jesvitæ in vita ejus a Maffero deſcripta Romæ edita lib. 3. cap. 11. his ipſis verbis auctores ſunt. Ignatius miræ fuit ſolertiæ in ſolicitandis mortalibus, & a Diaboli ſervitute ad Chriſti obſequium traducendis: ac quibus artibus Dæmon, ad animarum perniciem utitur, easdem ipſe, quoad liceret ac fas eſſet, ad hominum ſalutem ac beneficium transferebat. Voluntates ac naturas eorum, quibus cum ageret, feſtive odorari (id eſt, ante omnia expiſcari, quid quisque cuperet

G aut

aut fugeret) ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere,& suo, quod ajunt, hamo vel esca quemque piscari. Ita discimus Ignatium in ea fuisse sententia, artibus diabolicis in loco uti licere ac fas esse: quomodo P. Jacobum Tirinum magno suæ societatis assensu, in Comentario suo in sacram scripturam Gal. 5. docere cernimus, fornicationem, adulterium, sodomiticas agentium & patientium libidines, immunditiam voluntarie se polluentium in osculis, tactibus ac gestibus, impudicitiam, furtum, rapinam, ebrietatem, inimicitiam, maledicentiam, homicidium, aliosque carnis fructus, tum demum eos, a quibus talia aguntur, regno cœlorum excludere, si eo agantur modo, ut fiant peccata mortalia. Sicut etiam P. Sancch ez, Filiuccius multique alii Jesuitæ cæteris consentientibus & comprobantibus in libris editis docent: FAS esse viris ad sedandum pruritum carnis, vel tentiginem

& ad

& ad expellendum ſemen corruptum cum periculo pollutionis confricare ſibi verenda, fæminis autē non modo fricare partes verendas, ſed etiam intromittere digitos usque ad os alteri, licet prȩter intentionē operantis pollutio ſequatur, velut apud Antonium Dianam videre eſt. Quam acroamaticam Jeſuitarum Theologiam alio loco accuratius explano. Hoc loco ſatis eſt docuiſſe, quam parum veri ſit ſimile, quod Orlandinus narrat, Ignatio non ſatis probatum fuiſſe Aulicismum ſociorum & ſecularitatem. Quid enim fuit, cur iſtas ſatanicarum artium præcipuas Societati naſcenti, ut ipſe judicat Orlandinus, ad incrementum & conſervationem, obſcuras autem ad claritatem nominis hominumque exiſtimationem, tam opportunus, atque adeo neceſſarius improbaret? Quid ergo retuliſſet? Ignatium magnopere quidem de hominibus literatis ac doctis, magis tamen de Aulicarum rerum peritis, multo-

que hominum uſu callidis &recoctis, cumque Principibus agere idoneis in ſocietatem ſuam cooptandis, curæ habuiſſe? quod Orlandinus ejusdem libri quinti ſegmento ſecundo ſic teſtatus fuerat: Quanquam Ignatius ſtudio ad eos maxime ferebatur, quorum jam cernebat haud exiguos in doctrina proceſſus, tamen ad inſtantia Eccleſiæ tempora, non tam eos, qui doctrinæ, quam qui rerum uſu valerent, & in communi hominum cætu, (in Republica vel curia) gradu aliquo dignitatis excellerent, exigebat: qui horum brevi in ſocietatem exſtaret (i.e. qui ſi magnam ſocietati auctoritatem apud omnes conficerent) & authoritas ipſa jam plurimi momenti eſſet, ſive ad graviora gerenda negotia (nullum autem eſt gravius Evangelio prædicando, ſive peccatorum cum Deo reconciliandorum miniſterio) ſive ad agendum pro dignitate cum proximis viriſque Principibus. Atque hoc illuſtre eſt

artium

artium diabolicarum ſpecimen, quas Ignatius Chriſti & Apoſtolorum artibus præferendas cenſuit, tanquam ſocietati ſuæ ſuſcepti muneris perfectionem, cum utiles tum neceſſarias. Nimirum cum Principibus ac proceribus acturo, ut brachio ſeculari Chriſtum humanæ videlicet opis indignum protegerent, & Jeſuitarum doctrinæ ſuffragarentur, neceſſaria erat magna authoritas, non tantum Hebraicis, Græcis ac Latinis literis, ſtudiisque philoſophicis, ac Theologicis, ſed etiam, ac magis etiam, longo Aularum & rerum civilium uſu quæſita: quoniam tali auctoritate Chriſti doctrina credibilior reddi, multoque minori negotio populis perſuaderi poteſt. In quo quis Satanæ cogitationem ignoret? (2. Cor. 1.) & inferni draconis ſibilum Ignatio inſuſurrantem non agnoſcat? Quomodo in vita ejus ſcribunt Ribademeira lib. 1. cap. 13. &c. & Matth. lib. 1. cap. 13. Sathanam novo ſplen-
 dore

dore animum ejus illustrasse, ad res divinas intelligendas, & tam vehementes ei obtulisse illustrationes, ut de Deo, propter Deum cogitaret: mysteria etiam sacræ scripturę ei manifestasse, ut eum a literarum studio averteret. Quis ergo adhuc dubitet, non alio eum, quam Sathana, magistro, ut Hamabilem piscatum, similiter & hominum secundum carnem sapientium, nobilium & potentium electionem didicisse? Qui non est mecum, ait Christus, contra me est, sive sit mihi Sathan & scandalum. (Matth. 16.) & qui non congregat mecum, spargit, Matth. 12. Non est autem cum Christo, qui, quæ ille non vult, eligit, (Esa. 65. & 66.) & carnis sapientia ejus inimica, nunc legi ejus subjecta, ad gloriam ejus, hominumque salutem uti postulat, Rom. 8. Christo pro Divina sua sapientia placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, & Evangelium per ministros in hoc seculo stultos,

infir-

infirmos, ignobiles & contemptibiles annunciari, ut confunderet hujus mundi ſapientiam, eloquentiam, potentiam, nobilitatem, & auctoritatem, utque ſublimitas virtutis eſſet ipſius, & non ex miniſtris, id eſt, ut manifeſte omnibus appareret, tam ſublime prædicationis effectum, aſſenſum nempe, ſeu fidem populorum, non a miniſtrorum dignitate, ſed a ſola Chriſti omnipotentia pendere, ut non glorietur in conſpectu omnis caro, ſive ne carnalis vel humana ſapientia, aut potentia in gloriæ parte veniat, ſive aliquid ad Evangelium populis perſvadendum momenti feciſſe videatur, 1. Cor. 1. & 2. Cor. 4. Vult quidem Chriſtus etiam miniſtros ſuos cum Regibus agere, Matth. 20. Ad Reges & ad Præſides ducemini propter me, in teſtimonium illis & gentibus. Auctoritatem tamen prædicationi eorum non a literis, non ab eloquentia, non a nobilitate, non ab honoribus in Republica geſtis aut

rerum, ſed a ſigno Dei, omni nempe patientia acceſſuram verbo & exemplo ſuo docuit. Eſa. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, (nec cum quocam verbis aut libris litigo,) retrorſum non abii, (ut contumelias effugerem) corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & ſpuentibus me. Ecce Dominus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me? Ecce omnes(mei adverſarii)quaſi veſtimentũ conterentur: tinea comedet eos. Eſa. 51. Auditis me qui ſcitis juſtum: populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, (nec propterea a prædicanda lege mea ceſſate) & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea. Act. 9. Vas electionis mihi eſt Paulus iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus.

bus. Ego illi ostendã, quanta oporteat eum pro nomine meo pati, ut se angelum meum esse, ac legatione pro me fungi fidem aliis faciat. Apoc. 3. in Christi ad Philadelphiæ Episcopum: Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo claudere poterit: quia modicam habes virtutem, & non negasti nomen meum. Ecce faciam illos, qui sunt de Synagoga Sathanæ, ut veniant (per ostium a me apertum) & adorent ante pedes tuos: quia scient, quod ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ. 2. Tim. 2. quibus modis homines de synagoga Sathanæ ad verum cognoscendum perduci possint, ita docemur: Servum Domini non oportet litigare, sed signum Dei hominibus exhibere, hoc est, mansuetum esse ad omnes, didacticon, seu docendi facultate, sive sacrarum literarum scientia præditum, patientem, cum mansuetudine corripientem eos, qui resistunt: Si quando Deus det illis pœniten-

nitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem 1. Thes. 2. Introitus noſter ad vos (ait Paulus) non inanis fuit, (& ſine Apoſtolatus ſigno) ſed ante paſſi & cõtumeliis affecti fiduciã habuimus loqui ad vos Evangelium Dei (quoniam una cum verbo Dei etiam ſignũ Dei nobiſcum afferebam9.) Signa Apoſtolat9 noſtri facta ſunt ſupra nos in omni patientia. (2. Cor. 12.) Non fuimus aliquando in ſermone adulationis: nec in occaſione avaritiæ,(ſicut Jeſuitæ, qui tam bonis ſunt dentibus, ut arrideant omnibus, ac dicto citius opimas hæreditates mordicus arreptas deglutiant) neque hominibus placentes, aut gloriam ab eis quærentes (ut a Principibus ad ſubjectos populos, tanquam ſemen noſtræ propagationis acciperemus) ſed ſoli placentes Deo, qui probat corda noſtra. 2. Cor. 6. Ne in vacuum gratiam Dei, ſive Eccleſiæ miniſterium acceperimus (& inanis ſit

introitus noster, nosque in vacuum curramus) Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, nemini dantes ullam offensionem,ut non vituperetur ministerium nostrum. 1. Cor. 4. Usque in hanc horam nos Apostoli & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus,(nec vel stramineam casam, ne dicam regiæ molis nobis substructione visendum domicilium habemus) & laboramus operãtes manibus nostris(cum Jesuitæ manus perpetuo feriatas gestent, nisi quãdo aut cædendo puerorum nates, aut sacra diis manibus faciendo, seu præputio ducendo exercentur:) maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, & omnium peripsema, sive centunculus sordibus extergendis. Vos autem ministri Ecclesiæ a Deo vocati in societatem filii ejus Jesu (1.Cor.1.) jam

ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, já ſine nobis regnatis, id eſt, ſine ulla Apoſtolicæ paupertatis & patientiæ imitatione. Rogo vos ergo, imitatores mei eſtote. Sicut & ego Chriſti: ſicut ubique in omni Eccleſia doceo, ut Eccleſiæ miniſtri Chriſti & Apoſtolorum ejus ſapientiam imitentur, aliosque non tam verbo, quam exemplo eam doceant. Quantum vero auctoritatem Apoſtolica iſta famis, ſitis, nuditatis, paupertatis, contumeliarum patientia, tanquam ſigni Dei exhibitio, miniſtris ejus conficiat, ſuo Paulus exemplo ita docet Galat. 4. Scitis quod per infirmitatem carnis evangelizavi vobis prius, (id eſt, ante paſſus & contumeliis affectus fui, quam vel unum de Chriſto verbum vobis prædicasſem, meaque patientia carnem meam infirmam, beneq; a ſpiritu domitam, & ſubjectam eſſe demonſtravi) & experimentum mei in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Ange-

Angelum ſeu Legatum Dei excepiſtis me, immo ſicut CHRISTUM JESUM. Teſtimonium perhibeo vobis, quod, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. Nimirum doctrina viri per ſapientiam noſcitur (Prov. 19.) & ſapientia, carnisq; bene domitæ experimentum. Signum Dei eſt, quod legatis ejus fidem, auctoritatem & benevolentiam a populis conficit. ut in Chriſti ſchola ad Regnum cœlorum docti, ab ejusque diſciplina profecti exiſtimentur. Prima enim ejus ſcholæ acroaſis verbum patientiæ inſtillat: Diſcite a me mites eſſe, & humiles corde: tollite ſuper vos jugum meum & onus meum: Vosque velut jumenta ſubjugalia, & dosſuaria ad contumelias fuſtiumque plagas æquo animo ſufferendas comparate, quomodo me Dominum veſtrum facere videtis, Matth. 11. Hoc patientiæ verbum ſervantibus, non propter modicam ſuam virtutem, & ſermonis imperitiam, Chriſti nomen negan-

negantibus, hoc eſt, ad brachii ſecularis, ſive humanæ ſapientiæ aut potentiæ opem confugientibus, quod qui faciunt, re ipſa Chriſtum omnipotentem, hoc eſt, Deum eſſe negant, his ergo Chriſtus oſtium aperit, per quod illi, qui ſunt de ſynagoga ſathanæ, in Dei domum intrent, ejusque ſervis obœdiant ac ſubjaceant. Quod autem Chriſti potentia & divinitas ab iis negetur, aut ſaltem obſcuretur, qui carnali ſapientia aut potentia Evangelium fulcire ac propagare connituntur, ita Paulus ſignificat, 1. Cor. 1. Miſit me Chriſtus evangelizare, non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti, qui eſt Dei virtus, ſeu potentia & Dei ſapientia: cujus ſtultitia ſapientior eſt hominibus, & infirmitas potentior eſt hominibus. Itaque humana ſapientia ac potentia Chriſtum adjuvare velle, hoc vero eſt crucem ejus evacuare, & ſtultam facere ſapientiam Dei, & imbecillem ejus potentiam,

tiam, quod nemo nisi a cacodæmone, Dei inimico agitatus facere animum induxerit, cui merito ingeras illud, Job. 26. Cujus adjutor est? nunquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis? cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam & prudentiam tuam ostendisti plurimam, diaboli artibus ad hominum salutem utendo, eoq; pacto, quod Dei sapientiæ deerat, supplendo. Ita certe sanctissimus Hilarius Pictaviensis Episcopus circiter annum Christi 350. Collegas suos, Episcopos confutavit, quos itidem prorsus, ut hodie Jesuitæ solent, Christo & Evangelio suffragationem & auxilium a Principum Christianorum potentia petere intelligebat, qua de re verba ejus sunt in libro contra Auxentium: Nominis Anti-Christi proprietas est, Christo esse contrarium (eumque Deum & Dominum negare.) Hoc nunc sub nomine falsæ pietatis efficitur, hoc sub

specie

ſpecie prædicationis Evangelicæ laboratur, ut JESUS dum prædicari creditur, Dominus denegetur. Ac primum miſerari licet ætatis noſtræ laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus humana (ingenia doctorum & arma Principum,) creduntur Deo patrocinari, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur, (dum Imperator Eccleſiæ Advocatus adoptatur, Regnumque ſeculare brachium ad opem Chriſto ac ſponſæ ejus ferendam flebili oratione imploratur,) Oro vos Epiſcopi, quid hoc vos eſſe creditis, quibusnam ſuffragiis Apoſtoli ad prædicandum Evangelium uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prędicaverunt, omnesque fere Gentes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Non certe artibus Diaboli eam ad rem utendum ſibi putarunt, velut Ignatius fecit, ſociosque facere docuit,) Anne aliquam ſibi aſſumebant

a pala-

a palatio dignitatem (& ad populos auctoritatem,) HymnumDeo in carcere, & post flagella cantantes? Edictisque Regis, cum in theatro Paulus ipse esset spectaculo, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone, se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio Divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes, (quod cane pejus & angve oderunt Jesuitæ) intra cœnacula secretaque convenientes, vicos & castella, gentesque fere omnes terra ac mari contra senatus consulta & Regum edicta peragrantes, claves, credo, regni cœlorum non habebant: aut non manifesta se tum Dei virtus (potentia) contra odia humana porrexit, cum tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur. At nunc, proh dolor! (postquam Christianum imperatorem nacti sumus) divin m fidem suffragia terrena (Principum edicta) com-

commendant, inopsque virtutis ſuæ Chriſtus arguitur, dum ambitio nomini ſuo conciliatur. Terret exiliis & carceribus (inquiſitionis) Eccleſia, credique ſibi COGIT, quæ exſiliis & carceribus eſt credita: pendet a dignatione communicantium, (magnos Reges ſecum communicare gloriatur,) quæ perſequentium eſt conſecrata terrorum: fugat ſacerdotes, quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata: diligi ſe gloriatur a mundo, (a potentibus in hoc mundo,) quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet. Itaque ſanctiſſimi hujus viri judicio, inanem eorum laborem & ſtultas opiniones congemiſcere, veriſque lacrymis complorare fas eſt, qui aliis, quam Apoſtoli ſuffragiis ad Evangelium populis perſvadendum utuntur, dignitatem & auctoritatem a Regum palatiis aſſumunt, ſæcularibus adjuti poteſtatibus, Chriſtum prædicant, Divinam fidem terrenis ſuffragiis commendant,

dant, exsiliis, carceribus, & capitalibus suppliciis Ecclesiæ credi cogunt, eoque ipso Christum virtutis seu potentiæ suæ inopem arguunt, id est, Deum esse negant, quod mendaces Ecclesiæ magistros aliquando facturos perspicue Petrus prædixit, 2. Pet. 2. Quos eosdem Paulus, 1. Tim. 4. in novissimis diebus a fide discessuros, in hypocrisi mendacium locuturos, (id est, ipso interprete, 2. Cor. 11. Cum sint Pseudo Apostoli, ministri Sathanæ & operarii subdoli, in Apostolos Christi se transfiguraturos,) clare prænuntiat, quippe qui attendant spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, id verum est, sapientia carnis & hujus sæculi utantur, quę stultitia & inimica Dei est, Sathanæque adversus Deum & animam militat, (1. Pet. 2. Rom. 8.) & Diaboli, quam Christi & Apostolorum animos multo efficaciores credunt: quod eodem tempore Ignatium Romæ ejusque socios ac discipulos in Hispa-

Hiſpania & India facere ſolitos, ipſi quoque ferunt aptiſſime. In libello enim Madriti edito anno 1631. qui vita S. Ignatii inſcribitur, fol. 43. 6. totidem verbis de illo ſcribunt: *Hizo que Paulo III. inſtituyeſſe en Roma el ſupremo conſeio dela Santa Inquiſicion, y ſeñalaſſe quatro Cardenales, que en aquel Santo Tribunal velaſſen: que ſaſido el remedio de Italia.* id eſt. Perfecit ut Paulus III. ſupremum ſanctæ Inquiſitionis conſilium Romæ inſtitueret, & 4. Cardinales aſſignaret, in illo ſancto Tribunali vigilaturos: quod quidem remedium Italiæ exſtitit. Ita nimirum Ignatius orbis terrarum mala medicari docuit, Inquiſitorio ferro ac igne: quoniam ſcilicet vetuſtate jam obſoleverat remedium medicandis mentium erroribus, & peccatis a Deo præmonſtratum. Proverb. 12. Lingva ſapientium ſanitas eſt, eorum ſcilicet, quos Deus docuit ad Regnum cœlorum, & de lege ſua erudivit Pſalm. 93. Matth. 13. de quibus

etiam

etiam prædicatur Sapient. 6. Multitudo ſapientiæ ſanitas eſt orbis terrarum. Sap. 9. Per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque Deo placuerunt a principio, & ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui ſunt in terris. Sapientes autem ſunt, quorum voluntas eſt in lege Domini, & in ea meditantur die ac nocte: qui ſunt ligna fructifera plantata ſecus decurſus aquarum de ſanctuario egredientium, quorum fructus ſunt in cibum (ſuorum namque bonorum operum exemplo alunt,atque ad in crementa perducunt parvulos) folia vero (id eſt, verba) ſunt ad animorum medicinam & ſanitatem gentium,ut Pſal. 1. Ezech. 47. & Apoc. 22. docemur. Hujus notæ ſapientes animorum medicos & domus ſuæ architectos ac ſtructores Deus ſe miſſurum, & operi eorum benedicturum, proſperosque ſucceſſus impertiturum promiſit, Zach. 4. Manus Zorobabel fundaverunt domum iſtam, & manus ejus perficient eam,

eam, non in exercitu, neque in robore, sed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum. Iſte Zorobabel erat vir portendens (Zach. 3.8.) id eſt, ſignum futuri ducis, per cujus manum Deus Eccleſiam ſuam ex Babylonica captivitate educturus, & templum inſtauraturus eſſet. Talis enim debet eſſe Zorobabel, qui latine vertitur: Alienus a Babylonia, qui nempe inde exierit, nunc particeps factus fuerit delictorum ejus. (Apoc. 18.) quorum delictorum maxime eſt, non in ſpiritu Dei, ſed in exercitu & robore confidere, ſive fiduciam a Deo averſam in viribus ingenii aut brachii carnei collocare, aut a diabolo artes diſcere, quibus donum Dei fundat ac perficiat. Cui architectorum generi maledictionis divinæ fulmen hoc modo intentatur Jerem. 17. Hæc dicit Dominus, maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus. Erit enim quaſi myrica in

cæ in deſerto,& non videbit,cum venerit bonum (id eſt, optato operæ ſuæ ſucceſſu fruſtrabitur) ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili, nec aquis ſapientiæ irrigabitur, aut torrente voluptatis Dei potabitur (Pſal. 35.) & propter ſtultitiam ſuam, ſive carnalem prudentiam ſimilis erit arbori arefactæ in deſerto: ſicut talibus eventurum prædicitur Eccl. 6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus (dum carneis, non ferreis ungulis trituram in area Dei obire, Mich. 4. id eſt, dum non ſpiritualibus, ſed carnalibus armis, munitiones & altitudines adverſus ſcientiam Dei ſe extollentes deſtruere,omnemque hæreticorum & gentilium intellectum in captivitatem & obſequium Chriſti redigere contendis) quę ſtultitia eſt apudDeum 2.Cor,10. ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat (id eſt, ne pariter vita & doctri-

doctrina tua sit infructuosa) & relinquaris velut lignum aridum in eremo: contra benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super agros, & quod ad honorem mittit radices suas (id est, noctu ac diu meditatur in lege Domini, ut per consolationem scripturarum spem habeat, Rom 15.) & non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride (doctrina ejus semper erit recens, præsentesque vires habebit ad errores & peccata medicanda) & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum, & omnia quæcunque facit, prosperabuntur (Psalm. 1.) Non sic impii, non sic, sed erunt velut quercus defluentibus foliis (Esai. 1.) & velut hortus absque aqua, Ose. 1. Domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo; & non salvabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Ps. 146.

Magnus

Magnus Deus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus (itaque ſumma eſt ſtoliditas ejus, qui humana ſapientia & potentia Deo adjutor eſſe poſtulat.) Non in fortitudine ejus voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei (bilem ei movet contumelia, ſi quis firmo equitatu & peditatu ipſum juvare conetur) Beneplacitum eſt Deo ſuper timentes eum, & in eis, qvi ſperant ſuper miſericordia ejus. Pſalm. 32. Dominus diſſipat conſilia principum (qui putant vires ſuas verbo Dei potentiores, & ſi qui verbo Dei non credunt, eis ferro & igne fidem perſvaderi poſſe) Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum (cœli ſunt Apoſtoli & paſtores, qui ſpiritu & verbo Dei confortati omnia poſſunt, Phil. 4. Rom. 10.) Horum prædicatione factum videmus, ut timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes

 orbem.

orbem. Non ſalvatur Rex, per multam virtutẽ: Gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuę. Fallax equus ad ſalutem: in abundantia virtutis ſuę non ſalvabitur. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eũ, &in eis qui ſperant in miſericordia ejus, ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame. Ita certi ſumus, ut omnis terra Dominum timeat ſeu colat, nequaquam effici per cujusquam Regis multam virtutem, ſeu ſæcularem potentiam, neque per ullius gigantis, aut equorum multitudinem & abundantiam virtutis, ſive ſæcularem ſapientiam, eloquentiam, aut verbis contendendi, aut diſputandi facultatem, qua inſtructi Gigantes & Eques vocantur Baruc. 3. In Dei domo fuerunt Gigantes ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos eligit Dominus, neque viam diſciplinæ dedit illis, qua populos in domum ſuam perducerent. Et quoniam non habuerunt ſapientiam. Zach. 12. in die illa percutiam omnem eqvum in ſtuporem: ſuper

domum Juda aperiam oculos meos, & omnem eqvum popularem percutiam cæcitate, id eſt, Prophetas & Principes copiarum, & perdam ſapientiam ſapientium, Iſa. 29. qui ſunt Equi propter abundantiam virtutis &c. ſive fortitudinem, & ad prælium gerẽdum alacritatem Jer. 8. Converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi Eqvus impetu vadens ad prælium. Job. 39. Terram ungula fodit eqvus, exultat audacter: in occurſum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio: ubi audierit buccinam, dicit vah: procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululationem exercitus. Iſta eorum figura eſt, qui promittunt oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ (ſive argumenta Dialectica) & langvent circa quæſtiones & pugnas verborum, ſuntque ſuperbi & nihil ſcientes (1. Tim. 6.) cum eos velut eqvos Deus cæcitate percuſſerit, ut tanquam Animales ſpiritum non ha-

bentes, non percipiant ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, 1. Cor. 2. Judas in Epiſt. Itaque Chriſtus non Equo bellatore, ſed Aſino ſubjugali & perpeſſitio Hieroſolymā invehi voluit. Zach. 9. Matth. 21. Dicite filiæ Sion. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinum & pullum filium ſubjugalem. Et diſperdit quadrigam & Ephraim, & eqvum de Jeruſalem, & diſſipabit arcum belli (ſive inutilia reddet diſputatorum argumenta) & loquetur pacem gentibus, nec minis, pœnis, armiſque Principum eas ſibi ſubjiciet, ut quantum inter ipſius Evangelium, & Mahometi Alcoranum interſit, manifeſte omnibus appareat. Pſalm. 43. Patres noſtri (Apoſtoli) non in gladio ſuo poſſederunt terrá, & brachium eorum non ſalvavit eos, ſed dextra tua, et illuminatio vultus tui, qvoniam complacuiſti in eis (propter fiduciam in verbo Dei collocatam, & contemptum humanæ potentiæ & ſapientiæ præſidium.) Nunc autem (poſtquam Diaboli ar-

tes diſcimus, iisque homines ad Deum convertere conamur) repuliſti & confudiſti nos: & non egredieris e virtutibus noſtris (non eris nobiſcum, nec proſperabis conatus noſtros animis carnalibus probe inſtructorum) Avertiſti nos retrorſum, poſt inimicos noſtros: & quod oderunt nos, deripiebant ſibi. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri (qui eſt fortis Zelotes Exod. 20. qui nihil minus ferre poteſt, quam gloriæ ſocium) & ſi expandimus manus noſtras ad deũ alienum (opem & auxilium ab ulla re creata expectantes) nonne Deus requirit iſta? Ipſe enim novit abſcondita cordis, nec ei quicquam poteſt imponere, qui duplici ad eum corde accedit, & fiduciam alibi, quam in ipſo Deo collocatam habet. Pſalm. 52. Deum non invocarunt (aliunde auxilium expectantes) illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, (i.e. homines offendere ſunt veriti, eorum gratiam ſibi neceſſariam putan-

tes, quos Deo freti contemnere debuerant) dissipavit Deus ossa eorum (sive vires eorum omnes imminuit) qui hominibus placent: Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, nec plantantibus aut rigantibus incrementum dedit. Isai 9. Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sangvine, erit in combustionem, & cibus ignis, id est, sangvinarius ille Zelus, quo velut pallio nonnullorum crudelitas operitur, ut magno cum armorum tumultu, ac multo sangvine prædam forti armato Diabolo auferre, sive homines ab erroribus & peccatis ad Christum convertere conentur, belli civilis ac funesti flammas ministrabit. 1. Paralip. 28. Deus dixit ad David: non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sangvinem fuderis. Hoc ipsum sibi dictum putare Ignatius debuit, qui non modo bellator in juventute sua fuerat, sangvinemque Christianorum fu-

fuderat, ſed poſterius quoque Religioſæ vitæ addictus, & imperio in multas aſſeclas potitus, Sion in ſangvinibus ædificare ſatagebat, & cum per ſe ipſum Pontifici,tū per ſocios ſuos Hiſpanis, ingenio ac ſponte ſua immitibus,ac populis ſatis ſangvinariis nullo gentilium & Chriſtianorum diſcrimine in omnes illos qui Papæ ſubjici cunctarentur, ferro & igne ſæviendi auctor erat: quam animi immanitatem ad diſciplinæ ſuæ alumnos hodiernos Jeſuitas,velut hæreditariam ab eo transmiſſam eſſe,vel liber argumento fuerit, quem juſtæ defenſionis indice ſeu titulo ſeptem ab hinc annis, Germaniæ Jeſuitæ ediderunt. Ejus enim libri pag.127. & 129. Monachos derident, qui homines ſive ſua, ſive aliena culpa in religionis negotio errantes, a fide tamen Catholica Athanaſiano Symbolo comprehenſa nequaquam recedentes, Apoſtolicis armis, id eſt, omni patientia & doctrina Prædica-

torum sive Principum armis ad veritatis agnitionem perducendos censeant. Quod de Apostolis (inquiunt) eorumque successoribus Monachis refertur, ipso solo verbo & prædicatione Evangelii, NULLA VI adhibita, multitudinem populorum Christo adduxisse, id fatentur & sequuntur Doctores Catholici (Jesuitæ) quod attinet ad infidelium, seu quod baptizati non sunt, conversionem, sed alia est ratio de Hæreticis. Hi mandatis ac minis, etiam pœnis (bonorum publicatione & capitalibus suppliciis,) reduci debent. Hic est OPTIMUS ad fidem Catholicam Hæreticos convertendi modus. Nec tamen hic non satis patrissant, aut a Diaboli patris sui mendacis & homicidæ ingenio degenerant, cum sangvinariæ suæ adversus Hæreticos, vel potius Hæreticis credentes, doctrinæ ingens admiscent mendacium, qui Societatis suæ Theologi inter baptizatos & infideles alba linea signare, aut

aut quicquam discriminis facere, nec pariter in utrosque Principum arma, tortores & carnifices instigare soleant, quod Jesuitarum Epistolæ Ignatio etiamnum superstite in Europam missæ clare vociferantur, Societatis cum maxime nascentis Theologos, violentam prędicationem cum tumultu habuisse pro compendiaria Gentiles ab Idololatria ad Christum perducendi. Ibi quippe hæc eorum verba legimus, pag. 299. & 230. Cum necessarium esset, ut præter Ecclesiæ auctoritatem potestas Principum accederet, Deus prorege tanquam instrumento in multis usus est. Ubi enim Brachmanes rationibus se destitui viderent, ad defensionem satis esse putabant, quod se majorum more vivere profiterentur, sed cum pro injurata animi pertinacia, neque unquam se victos agnoscerent, neque rationibus quantumlibet efficacibus cederent, tum Prorex in COMPENDIUM misso negotio, malo huic no-

do malum cuneum opponit, legem promulgat, ut intra quadragesimum diem a decreti promulgatione Brachmanes cum suis omnibus, qui Christiani fieri nollent, suppellectili omni, quæque in rutis & cæsis haberent, intra id tempus distractis, in exilium abirent: qui non parerent, jacturam ejus facturos, & ad triremes abreptum iri comminatus est. Hic docemur, Ignatium & socios ad Gentiles non tam Christo, quam Pontifici subjiciendos, duobus modis utendum sibi censuisse, uno longiore, minusque efficaci, altero compendiore præsentiore. Illius longioris duæ erant partes. Primum Ratiunculæ humano ingenio excogitatæ, quæ Paulo sunt docta & persvasibilia humanæ sapientiæ verba. (1. Cor. 2.) quibus crux Christi, & Evangelii virtus evacuatur, nec tam fides fit, quam fraudis, sophismatum & imposturæ suspicio movetur: deinde auctoritas Ecclesiæ seu Pontificis, cui

tamen

tamen cur cedere, majorumque morem poſtponere debeant, nihil Gentiles afferri audiunt, adeoque excuſationem mereri ſe putant, quod tanquam Dei legatos recipere, & verbis eorum credere dubitent, quos nullum Dei ſignum exhibere vident. Brevior & efficacior Gentiles ad Chriſtum perducendi modus eſt, Compendium illud Hiſpanicum, cujus opera Chriſti Evangelium per Occidentales & Orientales Indias tam feliciter propagatum eſt, quam ut Joſephus Acoſta, quamvis Hiſpanus, idemque Jeſuita, nihil magis nefarium, impium, in Deum contumelioſius, atque ab animarum ſalute alienius excogitari potuiſſe teſtetur. Ejus quippe verba ſunt lib. 6. de procuranda Indorum ſalute, cap. 3. *Veterem Eccleſiæ diſciplinam, ita in hoc novo orbe neglectam intuemur, ut nuſquam contra Evangelii dignitatem magis irreligioſe, & contra hominum ſalutem magis pernicioſe*

 pecca-

peccatum esse intelligamus. Dum enim quoquo modo per FAS & NEFAS, (id est per Christi & Diaboli artes,) per dolum & vim gentes Barbaras, homines imperiti aut improbi, (Hispani) Christianos efficere properant, (quo scilicet compendio utentes,) nihil aliud agunt, quam ut Evangelium ludibrio exponant, & fidei susceptæ desertores certissimo exitio afficiant. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, quia & Sanctus Gregorius monens Dist. 45. cap.3. Satius est, inquit, ut ratione & mansvetudine nostra provocentur, cum hoc modo, (per mandata minas & pœnas,) non convertantur, sed magis alienentur. Pastores enim sumus, non percussores. Nova & inaudita vel prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Et tamen Ignatii, Jesuitarum, & Hispanorum judicio ad hunc modum prædicare, vel fidei negotium in Compendium mittere. De cujus fructu & utilitate ita equidem

dem Acostæ est sententia lib. 2. c. 4. Quis illud non videat, quam implacabile CHRISTIANI nominis ODIUM apud Barbaros ISTO MODO excitetur? quam grave & immedicabile SCANDALUM? Tota ista res vergit in obstinatam quandam invidiam, & ODIUM FIDEI, & certam perniciem hominum. Christus, qui non debebat, tributum solvit, ne scandalizaret. Nos vero si terras nullo modo debitas, (in quas Hispano nihilo plus juris est, quam Turcis in Hispaniam) has ergo si spoliemus, vexemus, prædemur, (id est, si Hispanice & Jesuitice prædicemus,) nullum ne justum timebimus scandalum? & lib. 5. c. 2. Hoc tot millia Indorum Christiani nomine donatorum RARUS est, qui an sit Christus unquam audierit, quod tantum Evangelii dedecus, tantam Christiani nominis contumeliam, nescio quo fulmine satis vindicari posse existimem, ut homo Chri-

stia-

ſtianus, aut annos jam viginti vel 30. Eccleſiam terens, rogatus de Chriſto, neque quis ſit, neque vero an ſit, prorſus intelligat. Ac talis quidem eſt Evangelizatio verbi, quia Hiſpani ex Gentilibus Chriſtianos faciunt, qualis eorundem ſit Evangelizatio operis, ſive quæ caritatis exempla, quibus eoſdem imbuunt, ex eo ſatis intelligitur, quod adeo jam res in Indiis redierat, ut ibi ſine peccato & ſalva conſcientia Chriſti nomen negare poſſet. Ut enim Bannez in primis clarus Prædicatorii Ordinis Theologus, idemque Hiſpanus teſtis eſt, in 2. 2. quæſt. 3. art. 2. apud Occidentales Indos Chriſtiano nomine ſignificabatur latro, raptor, homicida, crudelis, erantque Hiſpani propter ſævitiam, & horrenda ſcelera illis in regnis perpetrata omnibus univerſis inviſi. Itaque quoties ad eos Religioſi acceſſiſſent, & utrum Chriſtiani eſſent rogarentur, neceſſe habebant, ut vel caute ſilerent, vel Chri-

ſtianos

ſtianos ſe eſſe nequaquam dicerent. Adeo præter omnes in Hiſpanos convenit, quod eorũ majoribus Paulus ex Propheta impegit, Rom. 2. Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes. De quo tanto minus dubitari fas eſt, quod alius Dominicani ordinis Theologus & Episcopus Chapenſis, Bartolomæque dela caſa libro in Hiſpaniis edito de Hiſpanis ſuis novi orbis Apoſtolis, & Evangeliſtis tam tragice declamant: Plus quam quindecim hominum milliones interemerunt, in Dei ſanctæque Religionis contumeliam. Id cæci videbunt, muti exclamabunt, ſurdi exaudient. Ego enim teſtimonium advoco omnes Angelos, omnes ſanctos, omnes homines, qui vel nunc vivunt, vel poſt victuri ſunt, me hoc conſcientię exonerandę cauſa dicere: Hæc res ruinã & funus Hiſpaniæ afferet. Innocens iſte ſangvis usque ad cœlum clamans vindictam expoſcit. Fama tantarum immani-

manitatum universum orbem terrarum pervadit? quæ quoniam tam sunt horribiles, tam inhumanæ, tamque terroris plenæ, abesse non poterit, quin omnium animos, ad quorum illæ aures fando pervenient, grande scandalum, horror, abominatio, internecium odium Hispaniæ nationis infamia invadat. Ista igitur omnia cum Arias Montanus probe pernosset, simul autem minime ignoraret, Jesuitas Regi Catholico etiamnum juveni, ac rerum imperito nonnulla privata societatis suæ placita instillasse, tanquam Catholicæ fidei tuendæ ac propagandæ; Hæreseos autem perimendæ causa, jus & fas, in loco etiam necessarium esse, amphibologia sive captiosa sermonis ambiguitate, æquivocationibus, quas vocant & mentalibus reservationibus circumvenire, pacta conventa irrita facere, datam Hæreticis, ac vel sacramento firmatam fidem deserere ac violare, Hæreticos autem censendos esse

esse non modo, quos fallacia peccati obdurat (Hebr. 3.) sive ut sacri canones docent, quos temporalis alicujus commodi, maxime principatus vel gloriæ cupiditas in nova ac falsa opinione retinet: sed etiam quorum corda Hæretici per dulces sermones & benedictiones in errorem, fidei fundamenta, hoc est, Trinitatis & Incarnationis Christi mysteria nequaquam convellentem abduxerunt, quique velut in fide infirmi & imperfecti Catholici, mali & boni distantiam ignorantes, veritatis tamen caritatem retinentes, eam a libro concilio discere parati gratiam apud Deum inveniunt, & innocentes pronunciantur. Deuter. 1. 39. Jer. 31. 2. Rom 14. 15. & 16. & 2. Thess. 2. Propter has igitur causas Arias Montanus cum Principi Orangio minime vitio verti debere intellexit, si nusquam tutam fidem ratus, quibus artibus non sibi tantum, sed & universæ etiam Belgicæ dirum, ac nec Persæ homi-

hominiu tolerandum servitutis jugum & interneciem parari animadverteret, iisdem suæ ac popularium incolumitati ac saluti consuleret, tum minime inanem in se metum concepit, ne, si Belgii Gubernatores Jesuitis Prædicatoribus & conscientiariis uterentur, ad insitam vel potius innatam Hispanicis ingeniis immanitatem, eorum magisterio & consilio callida mentiendi, & perjurio alios fallendi artificia adjungerent, suisque compendiis brevi tempore vel eandem, quam in Indias, civitatem ac provinciam ruinam, stragem, vastitatemque importarent, vel a Populis Belgicis in rabiem efferatis, omnes vires suas tentantibus, ac tantum prope septentrionem auxilio advocantibus illuc, unde malum pedem attulissent, se recipere, inque maximam malam crucem facessere cogerentur. Sed de his ipsis, multisque aliis causis, quæ movere Ariam Montanum potuerunt, ut Jesuitas a Belgii Præfe-

ctis cavendos censeret, in animadversionibus Theologicis & Politicis accuratius & uberius agere constitui: hæc interim Jesuitæ sibi velut in antecessum persoluta, boni, spero, consulent, & ex isto, velut Grammatici convivatoris gustu, aut promulside, quantæ eos lætitiæ convivium a me maneat, existimare poterint.

Ipsis Hispanis Albano duci indignantibus, qui sibi gloriosum acroama canere, quam audire maluisset.] Etiam hinc apparet, cujus notæ literator sit Famianus. Si enim ipsos Latinæ lingvæ auctores tritos haberet, non sibi a trivialibus magistris, & Nomenclatoribus tam turpiter imponi sivisset, ut Acroama crederet festivam & lepidam narrationem significare, cum revera non aliud sit, quam Histrio, cantor scænicus, Musicus aut Symphoniacus. Cornelius Nepos in Attici vita: Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnoiten. Cicero ipse non solum spectator,

tor, ſed actor & acroama. Inſolentius etiam dicitur, indignari alicui, cum ſit uſitatius, indignari ambitionem, dictum aut factum alicujus: indignatur parere monitoribus.

Nobilis ſtatuarius Regi obtulit, impoſiturum ſe portis urbium ſimulacrum Regis.] Offerre pro recipere & polliceri, alienum eſt a bene loquentium conſuetudine.

Antequam panni conficiantur & diſtrahantur.] Melioribus lingvæ latinæ ætatibus nemo diſtrahere, pro vendere dixiſſe invenitur. Apud Juſtinum quidem lego lib, 9. Captis navibus mercium & diſtractis, inopiam paululum recreavit. Et in Suet. Veſp. Coemendo quædam tantum, ut pluris poſtea diſtraheret.

Allegatus ab Albano in Angliam Aſſonuillius.] Aut neſcivit, aut temere Famianus contemſit, quæ recte alii monuerant. Allegare eſt gravioris negotii cauſa quenpiam mittere internuncium in rebus privatis, ſicut

legare

legare in publicis. Plauti certe & Ciceronis id verissime monitum declarant.

Affusi circa populi.] Ridicule pro Belgis finitimi & vicini, affines, confines, contermini Belgium accolentes, qui Belgium attingunt, vel Belgarum fines contingunt, quibus Bellica attinguntur. Curt. lib7. Artabazus relictus est in tutela petræ, Religionisque, quæ exposita esset ei. Arachocia regio ad ponticum mare pertinet. Bactrianis ad occidentem conjuncti sunt, meridiana regio ad mareIndicum vergit.Idem lib.10. Phrygiam Hellesponto adjunctam, appositas Thraciæ Ponticas gentes &c.

Successu non favente causam suscipit.] Non respondente,dicere debuit. Favor enim divinus prosperi successus causa est, adeoque successus non tam favet, quam favetur. quod minime nove a me dici satis Charisius præstiterit, qui lib. 5. inter lingvæ latinæ idio-

idiomata ponit: Faveo tibi, & faveo te. Cicero: Ætati illi non modo non invidetur, verum etiam favetur.

Præco literas tam rauca compressaque voce recitavit, ut quam paucissimis perceptu sit.] lingvam aut vocem comprimere est omnino obticescere, aliud autem est, maxime depressa sive oppressa & sedata voce dicere, voce & oratione suppressiorem esse, oratione uti placida, submissa, leni, ut Cicero loquitur, sive ut Livius: Oratione submissà & infracta. Lucilius de voce Leonis ægrotantis ad vulpeculam: deducta tunc voce Leo, cur tu ipsa venire non vis? Pomponius: Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba: cui alius respondet: Ego reddam vocem tenuem & tinnulam. Etiamnum vocem deducam, quomodo Virg. deductum dicere carmen, id est, humile. Perceptus pro exauditus nullo auctore dicitur. Oratio enim percipitur, & verba; non autem qui loquitur.

Uxo-

Uxorem filio designatam pater in mortui locum duxit.] Quid autem est ducere in locum mortui, nisi eo loci, ubi est mortuus, sive ut mortui locum teneat? Quomodo Cicero dixit, Mulierem in concubinæ locum ducere, pro quo Plautus: in concubinatum. Lego quidem apud Ciceronem: In locum alterius consulatum petere: & apud Livium: inaugurari in locum alterius: ubi significatur locus alterius occupandus: quod hinc alienum est; nec enim uxor in mortui locum pervenire debuit. Si ergo Famianus latine sciret, in mortui loco dixisset.

Major Albani indignatio, tanquam fini ejus præsultarent.] pro sibi e provincia decedenti, aut decessioni suæ insultarent. Fatuatur Famianus, dum præsultare putat esse præmature, ac velut in antecessum insultare & illudere.

Nuncius de Brila capta, tanquam Deus e machina implexæ funestæque Tragœdiæ nodum ac laqueum repente solvit.]

Quis

Quis bona fide ſcholaſticum aut pædagogicum loquendi modum facile percepit, niſi ad oram ejus interpretamentum legerit, Ducem Albanum vim & laqueos paraſſe in Bruxellenſes, ſed repentino nuntio fuiſſe alio avocatum, & tributa omittere coactum? quaſi tributum exactione tributi nihil intereſſet. Quid autem eſt implexa Tragœdia? quis ita loquitur? Quomodo porro laqueorum nodos allatus ſolvit nuncius, qui nondum etiam nexi forent? De Tragœdia videlicet Famianus apud Horatium legerat: Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus inciderit: ubi nodus metaphorice dicitur pro negotio impedito, confragoſo, difficili & inexplicabili, cujusque nullus exitus apparet, ut Deum e machina intervenire neceſſe ſit, cujus opera explicetur. Sed Romane ac proprie de nodo laquei Bruxellenſibus parati Famianus loquitur: qui tamen quoniam nondum etiam con-

connexus fuerat nihil Deum de scænicorum machinamentis aut pegmatis advocari attinebat.

Hollandi olim ob tributa rebellarunt a Romanis.] & pag. 307. *Belgæ rebelles ab Rege animos gerebant.*] Hoc dicendi genus virgidemiam meretur. Nec enim rebellis ab aliquo, sed alicui cum ratione dicitur.

Orangii consilia tunc admota spei videntur, cum hæc tributorum occasio oblata est.] Inepte, pro quo dicere debuerat, cum ista tributorum exactio occasionem ei obtulit. Sed nec admotus spei Latine dicitur, cujus spes cum maxime maturescit.

Munitiones non magis obsidendæ urbi validas, quam auxiliarium aggressionibus impervias.] Aggressionem castrorum pro impugnatione, vel oppugnatione dicere, sive hostili castra adorientium impetu, nimiæ est μείωσις: nec refert, castra aggressioni esse impervia, dum aggredientes ea possint perrumpere. Qui porro sunt auxiliares,

nisi addas, quibus auxilio adveniant? Non quidem prudentem Lectorem fugit, intelligenda esse auxilia oppidanis suppetias venientia: Famianus tamen parũ ejus memor fuit, quod Fabius monet, non hoc nobis præstandum esse, ut possimus intelligi, sed ut non possimus non intelligi.

Prædatriciæ merces minimo coemtæ.] Barbarum vocabulum est Prædatricius: Si tamen Latinum esset, significaret aliquid ad Prædatricem pertinens. Sed nimirum Famianus sive in vocabulario aliquo, sive apud A. gellium, pecuniam prædaticiam legerat, quam scilicet Quæstores Romani ex manubiarum, seu prædæ ab hostibus actę venditione redegissent; adeoque Prædatitium & Prædatricium in promiscuo habuit, vappæ illius exemplo, cui Ova & Oves eadem res videbantur. Inter Ves & Va non est magna differentia.

Cane allatrante, unguibusque faciem heri dormientis vellicante.] Unguibus lace-

laceravit, ſicut dentibus vellicare potuit. Vellere enim ſignificat aliquid apprehenſum trahere, ut barbam, capillos vellere, herbas dentibus vellere, poma manu vellere. Ita Plautina cornix vulturios roſtro vellicat. Non te Famiane elementarium ſenem inveniri, eaque nunc doceri diſpudet, quæ nec claſſicarum Scholarum veſtrarum pueri ſine flagitio ignoraverint?

Illius facinoris commemoratione hujus magnitudinem exponere ſuperſedebo.] Ambigue & obſcure dictum, pro illo facinore infra commemorando, ſive propter illius commemorationem.

Nuncius cladis tanto Hollandorum non terrore, ſed odio adverſus Hiſpanos auditus fuit.] Neſcit Famianus, aut ſaltem hoc loco parum meminit, quid Terror & Timor interſint. Dicere enim voluit, Hollandos accepto nuncio non timorem in ſe Hiſpanorum, ſed odium concepiſſe.

Recepti Harlemi victoria plus famæ,

quam fructus Hispanis attulit.] Quomodo autem Harlemum jam expugnatum & receptum vinci potuit? Rectius fuerat. Harlemum receptum victoribus Hispanis plus famæ, quam fructus attulit. Fortassis autem negotium Jesuiticis discipulis facesset Harlemum receptum, cum urbium nomina fœminini generis esse didicerint. Id quod dediscere eos oportebit, si Grammaticæ nostræ Philosophicæ locus detur.

Nec melior mari fortuna cessit.] Pro contigit, data vel concessa est, poeticoteron aliquando dicitur. Cicero fortunam sapienti dicit cedere, pro, inferiorem se fateri, locum cedere. Significat Famianus Hispanos mari nihilo prosperiore fortuna functos, nihilo plus mari fortunam eis adspirasse. Quid autem est, cur Romani Censores solis Jesuitis fortunam ac Fatum toties appellandi jus impertiantur?

Pollicitus est Orangius, quæ audiret Alde-

Aldegundio fieri ab Hispanis, paria se Bossuvio relaturum.] In Poeta ἄκυρον hoc toleratur. Promisi ultorem, pro, minatus sum me ultorem : non æque in Historico, ut polliceri dicat pro minari, cui simile est Varronianum illud, Noctis circiter meridiem. Hujus porro Aldegundii est liber, quem Papiapiarium, seu Papæ alvearium inscripsit Fratri Naso Franciscano, aliisque Catholicæ partis scurris parem gratiam referens.

Ex eo Raitrum genere. Et rursum: *Raitres loco moti.*] Qui equo meret, Germanica lingua Reuter vocatur. Sicut Pedites vulgo Landscnecht. Expecto igitur, ut Famianus non minus Lanzichenecos, quam Reitres latina civitate donet, iisque Volusianos Annales suos exornet.]

Emendicantium ordinum Religiosi.] Non intellexit Famianus tantundem inter Mendicare & Emendicare, quantum inter Orare & Exorare, inter Blandiri & Eblandiri, Palpari &

Expalpari interesse. Pariter Jesuitæ & aliorum ordinum Religiosi mendicant, orant, blandiuntur & palpantur, minime tamen pariter mendicando, orando, blandiendo & palpando, qui avent, conficiunt, Jesuitæ enim in eo genere sunt thaumaturgi, ac prodigiosum plenumque faciunt operæ pretium, qua de re Petrus Deza ita prædicat in oratione sua de S. Ignatii beatificatione p. 152. Cum Patres Jesuitæ commoda sua quærunt, idem sibi proponunt consilium eum eo, quod Pharaoni Joseph suggessit, ut copiam frumenti in suis horreis coacervaret. Hoc MIRABILE est, (& digitus Dei est hic.) quod hoc tempore adeo perverso & avaro, (sicut alii Religiosi experiuntur pauca emendicando,) Jesuitæ norint & possint abunde, quicquid ipsis necessarium est, extorquere, (eblandiri & expalpari.) Non enim fit sine miraculo, quod cum homines sint adeo parci & tenaces, non tamen possunt

in

in animum inducere, ut Jesuitis aliquid denegent, aut eorum petitionem rejiciant: quod MIRACULUM (Jesuiticum) conferri potest cum eo, quod Deus operatus est cum Ægypthis in favorem populi sui, cum Judæis mutuo dederunt, (Latinitate Jesuitica, id est, barbara, pro commodarunt, utendum dederunt,) quicquid petierunt: quod TOTUM Deus voluit ipsos auferre. Idem omnino fit Jesuitarum repectu, ut totum auferant, quicquid petunt, quod argumento est, eos Deo curæ esse, & ab eo tenerrimo affectu diligi: quando, qui adeo sunt avari, tamen libenter & cum animi lætitia Patribus ictis subministrant, quicquid ipsis necessarium est. Hoc est, scilicet quod Ignatio ac sociis ejus Christus fuerat pollicitus: Romæ vobis ero propitius. Tanti enim Miraculi gratiam Apostolis ut impertiretur; animum inducere non potuit, Signa eos (inquit) hæc seqvuntur: In no-

mine meo Dæmonia ejicient, lingvis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Horum quidem ſignorum nullum a propitio JESU, Ignatio & ſociis ejus contigiſſe, vel ex vita Ignatii a filio ac diſcipulo ejus Ribadeneira diligenter conſcripta apparet lib. 5. cap. 13. ubi Ignatium ejusmodi miraculis minime illuſtratum fuiſſe agnoſcit. Sed nec Franciſcum Xaverium Indiæ, ſi ſuperis placet, Apoſtolorum lingvis novis loquendi gratia donatum fuiſſe, ex ipſa ejus confeſſione vel dicam querela conſtat, quæ talis legitur lib. 3. Indic. Epiſt. 5. Si nos lingvam calleremus Japonicam, non dubito quin plurimi fierent Chriſtiani. Faxit Deus, ut eam brevi addiſcamus, tum demum aliquam Chriſtianæ rei navabimus operam! Nam nunc quidem inter eos, tanquam mutæ ſtatuæ verſamur. Tantum abfuit, ut ſe idoneum,

neum a Christo propitio novi Testamenti ministrum factum, & dono lingvarum ea causa affectum Pauli exemplo gloriari posset: Gratias ago Deo, qui omnium verborum lingva loquor 2. Corinth. 3. & 1. Cor. 14. Jesuitæ nihilominus doni lingvarum sibi non omnino expertes videntur, cum lingva duplici more serpentum loqui soleant, quando suis Amphiboliis sive Æquivocationibus & mentalibus reservationibus utuntur, de quo lingvæ genere Francisci Toleti Jesuitæ verba sunt lib. 4. Instruct. Sacerdot. cap. 21. Aliquando uti licet Æquivocatione, & decipere audientem, ut cum judex petit juramentum ab aliquo, ut dicat crimen vel proprium, vel alienum, si omnino est occultum, & jurare cogatur, utatur æquivocatione, puta, nescio, intelligendo intra se, ut dicam tibi, vel simile. Et cum juridice interrogatur, licet ei uti æquivocatione & dicere: Non feci, puta, in carcere:

& non habui complices (reservando in mente talia verba) in aliis criminibus. Si quis juravit se centum aureos latronibus daturum, potuit æquivoce jurare, ratione coactionis, dicendo, juro me daturum, & intra se dicere, si mihi libuerit: & tunc non tenetur. Et lib. 5: cap. 38. Qui cogitur jurare se accepturam, intelligendo (& in mente reservando, intraque sæptum dentium dicendo) si postea placuerit. Et Thomæ Zanchez operum moralium lib. 3. cap. 6. num. 15. Si quis interrogatus recreationis gratia, sive alio quocunq; fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, & vel aliá diem, in qua fecit, non mentitur. Et num. 19. Causa justa æquivocandi est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas. Et num. 45. Licitum est ad se tuendum æquivocatione aliqua uti. Et quantum-

cum-

cunque iniquus interrogator reduplicet, ut juret, ſe nulla æquivocatione uti, & absque omni prorſus captione id intelligere, adhuc id jurare poteſt, intelligendo, ita ut plane debeat loqui, aut explicare, vel aliquid aliud mente excipiendo. Hujusmodi vero linguam novam eſſe, nec ejus notitiam aut uſum prioribus Eccleſiæ Doctoribus ac Magiſtris contigiſſe, inſignis Societatis Theologus Gabriel Vaſquez apertiſſime fert, ac velut gloriatur Tomo 4. quæſt. 93. art. 5. dub. 13. Negari, inquit, non poteſt, hujus reſpondendi modi, (per Æquivocationes) non meminiſſe antiquos Doctores, & ita credidiſſe, ſi negaretur factum, tam coram judice, quam coram alio, eſſe mendacium. Et revera ita eſſet, ſi mens reſpondentis non eſſet cum illa, quam diximus, reſtrictione ad interrogationem reſpondere. Ita colligitur ex Thoma, qui etiam in Reo, cum injuſte interrogatur, alium mo-

dum non invenit, quam non reſpondere, (nec nova hac lingua loqui ſcivit, ut aliud ore promeret, aliud mente conceptum clauſumque contineret.) Colligitur etiam ex Auguſtino, qui loquens etiam de judice inique interrogante, non meminit hujus reſtrictionis & modi loquendi, ut excuſaret reſponſum, ſed tamen nec negavit. Nec mirum, quod eo tempore non eſſet nota hæc res, quæ poſtea diſputationibus aſſiduis innotuit, ita ut jam Jeſuitæ, eorumque diſcipuli & familiares lingva nova loqui & vel facta negare, vel nunquam facta affirmare, deque Ignatii & Xaverii miraculis quicquid libeat, teſtari ac jurare noverint, medium digitum non tantum Auguſtino & Thomæ oſtendentes, ſed ipſi etiam Maldonato, novæ ac ſerpentinæ iſtius lingvæ uſum atroci hac ſententia condemnanti: Quisquis fingendo alium fallere conatur, etiamſi præterea aliquid ſignificare velit, (quod nempe in

in mente reſervat,) haud dubie mentitur. Alioqui nullum eſſet mendacium, quod non defendi poſſet, in Luc. 24. num. 36. Tanti ergo nominis Jeſuita non minus, quam Auguſtinus, Thomas, omniſque veterum Theologorum Schola, Mendacium ac Perjurium eſſe judicat, quod hodie tota Societas veritatem eſſe contendit. Nec tamen hodie deſunt Principes & populi etiam inter illos, qui ab Eccleſiæ Romanæ communione ſunt alieni, qui ſine ipſis mendacii & perjurii magiſtris, ſive duplici, fraudulenta & perjurioſa eorum diſciplina imbutis fidem habere de maximis rebus non dubitant, nec eos verbo & ſcripto falſum teſtari, promittere aut jurare, ſuſpicantur: quod ipſum haud ſcio quoque ne Apoſtolicorum ſignorum vel miraculorum minus cenſeri debeat. Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, (ſive æquivocationes & mentales reſerva-

tio-

tiones pro veritate habendas docebant,) & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis,& populus meus dilexit talia. Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini Dei ſui, (omne mendacium & linguam doloſam, in corde & corde loquentium abominantis, Pſal.5. & 11.) Periit fides,& ablata eſt de ore eorum. Extenderunt linguam ſuam,quaſi arcum mendacii & non veritatis. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occulte ponit ei inſidias, (verba quædam in mente ſupprimens.) Quod ſi etiam vivit Dominus, dixerint, & hoc falſo jurabunt. Inventi enim ſunt in populo meo impii (habentes quidem ſpeciem pietatis & Religionis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. Tim.3.) Inſidiantes quaſi Aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plenæ ſunt dolo, (ſive

æquivocationum & mentalium reservationum artificio,) ideo magnificati sunt & ditati, incrassati & impinguati, & præterierunt sermones meos pessime. Unusquisque ergo a proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. Vir enim fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt, Jerem. 5. 6. & 9. Itaque stupor & mirabile censeri par est, quod Jesuitæ lingua ista nova loquentes adhuc inveniunt, qui vel ipsis, vel eorum discipulis eadem lingva utentibus quicquam credunt: quodque discipulis suis tot tamque opimas hæreditates & uncta patrimonia quotidie emendicant, explorant, eblandiuntur, expalpantur, ex eoque magnificati, ditati, incrassati & impinguati visuntur. Apostoli Patres eorum censebantur, quos per Evangelium Christo genuissent, quo nomine

ne

ne multarentur, cavebant filiis suis esse oneri victuique & indutui necassaria quenquam poscere non audebant: id quod passim Paulus hoc modo gloriatur: Nos Apostoli sitimus, esurimus, nudi & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, neq; gratis manducamus panem ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem gravaremus. Cum essem apud vos & egerem, nulli onerosus fui accipiendo stipendium ad ministerium vestrorum, & in omnibus sine onere me vobis servavi & servabo. Argentum, aurum, aut vestem nullius concupivi. Ipsi scitis, quod ea, quæ mihi & sociis meis opus erant, ministrarunt manus istæ. Ecce tertio paratus sum venire ad vos, & non ero gravis vobis. non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos; nec enim debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis. Quamvis autem dignus sit operarius mercede sua, &

Domi-

Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere: non tamen usus sum potestate mea, sed omnium me servum facio, & omnia sustineo propter electos, & stipendiis meis milito, ne quod offendiculum dem Evangelio, utque me ipsum aliis dem formam ad imitandum me, hoc est, ut aliis exemplo meo ostendam, quod oportet laborare, nec panem ab aliquo gratis manducare, & suscipere infirmos & meminisse verbi, quod dixit JESUS: Beatius est magis dare, quam accipere, 1.Cor.4. & 9. Et 2.Cor.11. & 12. & 2.Thess.3. & Act.20. & 2.Tim.2. Tanto Apostolis stetit nomen Patris, quidni ergo magni Thaumaturgi & plusquam Apostolicorum miraculorum patratores Jesuitæ audiant, qui cum regifico domiciliorum luxu, & insanis molium substructionibus orbem universum graviter a se offendi & scandalizari nequaquam ignorent, infirmos tamen paterna caritate suscipe-

ſcipere, & offendicula eis de via auferre nihil penſi habeant, auditoribus, civitatibus, populis & regnis graves ſint & oneroſi, ac velut ignis, nunquá dicant, ſufficit, & a filiis theſaurizari ſibi poſtulent, nec tamen ea cauſa minus Patrum nomen facile tuentur, & præ omnibus Religioſis κατ' ἐξοχὴν Patres appellari ſoleant? Si quis tamen plus Miraculorum ab eis adhuc exigendum putet, ipſos MIRACULOSOS eſſe meminiſſe recte jubebitur. Ignobilioribus enim inhoneſtis corporis humani membris (quæ nec nominare inter res ſerias fas eſt) abundantiorem honorem tribuere eos conſtat (1. Cor. 12.) ut ea ſubinde mirando, nec diſſimiliter Moyſi poſteriora DEI, ſive opera ejus ſpeculando, cauſam nanciſcantur Pſaltæ verbis exclamandi: Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarũ exſultabo, Pſ. 91.

In pecuniæ partitione curam ac methodum adhibere.] Aliud inſignis fatuita-

tuitatis ſpecimen, vocabulum technologicum Dialecticæ ſcholæ propriũ, ad ſcholam œconomicam imperite tranſlatum, inſerti vel emblematis loco ad hiſtoricæ dictionis ornatum adhibere, tanquam Tullius ei ſordeat, qui rem eandem, verbis dilectus & diligentiæ ſignificare ſolet, ut: in beneficentia debet eſſe dilectus dignitatis, id eſt, deligendus vel diligendus eſt dignus, cum indigno benefacere, non tam ſit dare, quam perdere, neque gratiæ quicquam mereat. quod ipſũ Eccl. 20. hoc modo monemur: Gratiæ fatuorum effundentur (id eſt, fatui beneficia dabunt ſine dilectu) Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius, qui enim edunt panem illius, falſæ lingvæ ſunt, (dum ei verbis agunt gratias, quas animo non habent) quoties & quanti irridebunt eum? Neque enim quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: ſimiliter & quod non erat habendum, id eſt, tanquam ſtolidus irri-

irridebitur, quia apertis oculis sine ullo discrimine, dilectu ac judicio, utque Famianus diceret, sine methodo dignis & indignis largitus est. Dignis, plus, quam quod er..t habendum, quamque vel meritum, vel necessitas eorum postularet. Indignis quod non erat eis habendum, sive id creditoribus mercenariis aut dignioribus esset debitum, sive ipsorum nullum esset meritum, vel accipiendi causa. Atque hoc speculum est, in quo Ferdinandus II. Imp. animi sui habitum contemplari poterat, nisi suis eum Jesuitæ præstigiis jam inde a prima ætate infatuassent, aut præligassent. Ejusdem Ciceronis est: Officia tolluntur, dilectu omni & discrimine remoto. Ubi discrimen est, quod Jesuitæ discretionẽ aut methodum dicerent: Omnium rerum dilectum atque discrimen pecunia sustulit. Vita rustica parcimoniæ & diligentiæ magistra est. id est, Jesuitica elegantia, curam & methodum

adhi-

adhibere docet. Rem familiarem conſervari parcimonia & diligentia, iisdem rebus etiam augeri. Auctor ad Herenn. Si quis hominem prodigum & luxurioſum illudens (ſive per Ironiam) parcum & diligentem appellet. Cæterum quod Jeſuitis placet dicere, cum diſcretione, ſic ab Ulpiano effertur dig. lib. 1. de officio. Proconſ: Circa advocatos patientem eſſe oportet, ſed cum ingenio, ne contemtibilis videatur.

Fructu ob intempeſtivitatem non multo majore.] Novitium, nihiloque novo numo melius eſt Intempeſtivitatis vocabulum, in Agellii officina cuſum, ut ἀχαιρίαν notaret.

Urbi extremam prope neceſſitatem indixit.] Neceſſitas non indicitur, id eſt, edicitur, imperatur, jubetur, ſed affertur, injungitur, imponitur. Tacitus quidem ultimam neceſſitatem denunciare dixit; aliud tamen eſt indicere, quam denunciare, & ſi nec Tacitum loquendi auctorem habere moror.

Urbem

Urbem intersecat ac sparsim alluit Rhenus.] Non desidero latinitatem in Pliniana voce, sparsim, sed sensum communem in Famiano, qui fieri posse putet, ut fluvius sparsim, nec perpetuo alluat urbem, quam interfluit? nam & hoc verbo Livii & Curtii uti malim, quam illo intersecat, quod in libris ad Herenn: alia notione legitur. Fluvius enim non secat, sed fluit inter urbem, tametsi urbem secare recte dicitur.

A conjurato elemento. & pag. 285. excluso truci elemento. Et 286. præsens ab imniti elemento periculum.] Scire velim, cui veterum in mentem unquam venerit, Elementum pro mari dicere, cum Aquam eo nomine significet. Curtius lib. 9. Unde tantum subito rediisset mare, quænam esset ejusdem elementi natura, modo discors, modo imperio obnoxia.

Romanæ Religionis odium multi præ se ferre gloriabantur.] Imo gloriose præ se ferebant, utque Catullus ait, præportabant.

Ho-

Hostium lembus harpagonibus hominem mordicus arripuit.] Ridicule, quasi harpagones lembi dentes essēt? Mordicus, utque Plautus ait, Mordicitus, (non mordicibus,) ut Varro, mortificatim significat, non vellicatim, sed morsu vel mordendo, sive dentibus.

Improsperum rei exitum.] Nihil attinebat verbum novare, cum affatim sit usitatorium, quibus, quod vellet significare poterat.

Primam ætatem Austriacis armis authoraverat.] Hoc indocte, nec satis Latine dici ex iis intelligi potest, quę supra ad pag. 214. annotavi.

Sub aquis esse eminentias & colles.] Eminere extra vel supra aquas, latine dicitur. Absurdum perinde est, sub aqua eminentiam fingere, quid fuit, cur dorsum Famianus dicere formidâret? Virg. 10. Æneid. de navi. Namque inflicta vadis dorso, dum pendet iniquo. Anceps, sustentata diu fluctusque fatigat, solvitur atque viros mediis exponit in undis. Ubi

Servius dorſo monet, duriorem ſignificari arenam, quæ remeantibus fluctibus & euntibus denſatur, & in modum ſaxi indureſcit, idque a nautis Pulvinum dici.

Præalta quæque inaceeſſa videbantur maria, pedum veſtigio tranſmitti poſſe.] Nemini dubium erat, quin accedi poſſent, quamvis non impune aut ſine noxa.

His aut ignoratis, aut deliberato animo contemtis.] Etſi juratus dicitur, qui juravit, cænatus & pranſus, qui cænavit aut prandit, Jeſuita pater patratus, qui patravit aut expatravit, ſive patrare & inter Patres patrantes numerari deſiit: deliberatus tamen pro eo qui deliberavit, & conſtituit, ſive cui ſtat ſententia, minime Latine uſurpatur.

Ad locum acceſſere pleni vocibus adhortantium.] Plenus voce ſignificat, cujus vox eſt plena, grandis, ſonora, non autem cujus aures voce aliena replentur.

Ut hæc transmiſſio non modo committi cum Cæſarianorum trajectione queat: ſed tanto horum virtus Cæſarianorum fortitudini præhabenda videtur, quanto Hiſpani pauciores.] Fædum, ac nec in lingvæ tyrone ferendum anacoluthon, ut mittam de novitate verbi præhabere, cujus tamen frequentiam Famianus deliciæ habet. Nimirum Ciceroni & Virgilio licuit dicere, aliquid alteri poſthabere, quidni Famiano jus ſit fingere verbum præhabere? A poſteriori enim ad prius efficacia ducuntur in Jeſuiticis ſcholis argumenta, etſi fortaſſe frequentiora ibi ſunt a priori ad poſterius, quamvis puſilla, minutula, & capite & pectore deminuta argumenta.

Vadorum ſciti.] Pro gnari, periti, ſcientes. Hoc novatori verborum poetæ ignoſci poteſt: tanto minus autem hiſtorico, quanto major ei meliora eligendi libertas erat.

Cæcam noctem conflagrantis cæli

ostenta collustrarunt.] Si conflagrare est incendio consumi, (quomodo latini ea voce utuntur) & hoc prodigium patris Michaelis Hernardez, Jesuitæ preces non frustra fusę patrarunt, verbis exprimi non posset, quantum orbis terrarum Jesuitis debeat. Absque illis non esset, nusquam nobis hodie contingeret cœli convexa tueri, cum jam annis abhinc 66. ad P. Michaelis preces cœlum conflagraverit. Nisi tamen me fallit, minore aliis negotio Famianus persvaserit, innumerabiles cœlos, (prisca vocalium commutatione, qualis est in Mæro & Muro,) in Jesuitarum Scholis quotidie flagris fervere & æstuare, quam unum Jovis altitonantis cœlum, vel semel post exortam Societatem conflagrasse.

Non parum avocamenti afferebant apparentes hostium naves.] Imo solicitudinem ac metum afferebant. Avocamentum posterioribus Latini sermonis ætatibus usui esse cœptum signi-

ſignificat animi a mœrore ac moleſtiis relaxationem. Senec. de Provid. cap. 3. Mero ſe licet ſopiat, & aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat. Apul. 1. de Aſin. Lepidæ fabulæ feſtivitate nos avocavit. Et lib.4. Ego te narrationibus lepidis anilibusque fabulis protinus avocabo, id eſt, delectabo. Ita Tertullianus adverſ. Marcion: Chriſtum non de cœlo deferre debueras, ſed de aliquo circulatorio cœtu, non ſalutis Pontificem ſed ſpectaculi artificem, (hiſtrionem) nec mortuorum ſuſcitatorem, ſed vivorum avocatorem, id eſt, oblectatorem, delicias. Nec tamen Famiano cœterisque Jeſuitis fraudi eſſe oportet, ſi neſciant, quæ nusquam in Calepino comparent.

Secura obnoxiaque cæde interempti.] Quovis pignore cum Famiano contenderim, ne ipſum quidem quid obnoxia cœde ſignificetur, interpretari poſſe.

Commortalis naturæ conditione.] Tametsi commorientes latine dici satis memini, Commortalis tamen, quo Columella utitur, non æque se mihi probaverit.

Infeliciter ac projecte moriendum.] Nusquam quidem projecte dictum inveni, nec tamen improbo, ut significentur, qui vitam velut rem utilem projiciunt. Quomodo Catullus: Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis projicere optavit. Cic. libertatem suam projicere. Senec. Non pro fastigio tuo te metiris, ipse te projicis. Pro eo Plautus Capt. dixit: carum caput suum vilitati offerre. Petron. sine causa spiritum tanquam rem vacuam impendere.

Hominem obesitate prætumidum.] Mallem cum Cicerone Adipem dixisset, aut cum Trogo Saginam. Just. lib. 21. Saginam corporis ex nimia luxuria contraxit. Et *l*ib.44. Tanta pabuli lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur.

Ne

Ne detrimenti aliquid provincia pateretur.] Insolentia & peregrinitas hujus generis loquendi neminem jam paulo humaniorem fugit. Nec enim Latinæ consuetudinis est, detrimentum aut damnum pati, sed facere, capere, accipere, vel detrimento affici. Atque hoc jam ante hos 30. duos annos Josephum Burdoscaligerum monueram, quo capitalior vel potius natalior censeri Famianus, nec ei quicquam ad veniam suffragari debet, qui instam inscitiam, corii jactura expiet.

Quæ mihi memorasse, non asseruisse animus fuit.] Josephum eundem docui, Asserere pro affirmare a nullo satis locuplete authore dictum fuisse. Propria enim ejus notio est, ad seu juxta habere. Catull. Lenta velut assitas vitis implicat arbores, id est, juxta satas. Varro 1. rei rust. 26. Neque vites propter cupressos asserunt, quod hæc inter se inimica. Accipitur pro 2. Vindicare, quia quem

quis liberali causa in libertatem vindicabat, eum manu asserebat, vel admovebat, seu prope se statuebat, manuque capiti ejus imposita dicebat: Hunc ego hominem jure Quiritium ajo liberum esse oportere. Curt. lib. 8. Jupiter quem tibi patrem Alexander assereret, id est, vindicaret, adsciseret. Æuo tamen Theodosiano Asserere pro Affirmare dici cœptum est. Justin. lib. 28. Romam mittit, qui Senatui assereret, puerum illum ex Ariarathe genitum, pro quo fortasse Trogus dixerat, qui illum Ariarathi, vel ut ex eo genitum assereret. Nam & alia Justinum in Trogo corrupisse constat.

Inter se convenerunt, mutuamque adversus Hispanos opem condixerunt.] pro pacti sunt. Latinis cõdicere est denũciare alicui, se præsto illi fore in convivio & judicio. Cic. cum mihi condixisset, cœnavit apud me. Plaut. Hodie ducam scortum ad cœnam, aut aliquo condicam foras. Idem: Ne mire-

miremini ſervos homines potare,atq; ad cœnam condicere. Condixi in Symbolam ad cœnam. Si ſtatus condictus cum hoſte, intercedit dies, ut ſcilicet cum hoſte ſeu peregrino ad judicem eas, ac litiges. Lego quidem apud Juſtinum, Inducias condicere, pro paciſci, ſed id a Trogo, cur ſcriptum credam, cauſæ nihil video.

Milites captas mulieres ante ſe ſtatuunt, eoque veluti vallo ſubeunt pontem muliebriter clypeati, ſclopos ſupter earum brachia axellasque in hoſtem collineantes.] Quid ſtolidius, quam muliebriter clypeatum dicere, qui mulieris, velut Clypei objectu ſibi conſulens non minus viriliter,quam callide rem gerit? Muliebriter expavit enſem, Horat. Muliebriter ſe lacrymis lamentisque dedere, Cic. id eſt, mulierum more. An autem id Famianus de militibus iſtis credi poſtulat? Quem etiam eſt, cur Macaronicorum vocabulorum ſclopi & Axellæ diſpudeat, cum palam ſint barbara, ex Ita-

licis ſchiopo & aſcella. Quid ſclopus ſit latinis, ſupra ad pag. 131. attigi. Axillam iidem dicebant, non Axellam, quod ita Cicero teſtatur de Orat. verba ſæpe contrahuntur, non uſus cauſa, ſed aurium. quomodo enim veſter Axilla factus eſt Aſala, niſi fuga literæ vaſtioris? quam literam & jam e maxillis & taxillis, & vexillo, & paxillo, conſuetudo elegans latini ſermonis evellit, ut ſcilicet in omnibus iſtis, non unam modo literam X, ſed etiam ſyllabam XI, exterere ſoleant, dicantque jam Ala, malas, talos, velum & palum. Similiter autem & Aullam, ex eoque Ollam, dixerunt, quæ quondam fuerat Auxilla, ut ex Feſto diſcimus. Jeſuitæ tamen ipſa literarum prima elementa nondum docti, regnum in literis ſibi arrogare non verentur.

In quos explodere cives trepidant, ne mulieres, antequam Hiſpanos impeterent.] Duo hic ſunt non mediocris fatuitatis ſpecimina. Primum, implodere

non

non significat pilam ejaculari, sed manuum plausu aliquid ejicere. Cic. Histrio si paulo se moveat extra numerum, exsibilatur & exploditur. Non modo sibilis, sed etiam convicio e scæna explodebatur. Sententia ejus explosa & ejecta est. Hoc aliter dicebant exigere. Terent. Quas faciet comœdias, an ut eas explodatis? Idem Fabulas exactas dicit, quas spectatores exploserant, utq; ait Cicero, sibilis consciderant. Deinde impetere, non est telo aliquem vel globo ferire, sed telum in eum destinare, intentare, ac mittere, telo eum petere, vel appetere, quomodo Cicero; Vitam alicujus ferro appetere, lapidibus appetitus & percussus.

Notum est Liviæ consilium suadentis Augusto, medicos ut imitaretur.] Tam hoc notum Eseovedo puto, quam notus est Famiano saltus Hercynius. Pari modo Monachienses in Bavaria Jesuitæ puellæ, quæ in supplicatione pompaque solenni B. Virginem Ma-

riam in Ægyptum cum infante Jesu profugientem repræsentabant, Rosarium B. Virginis, quod dicunt, gerere jusserunt: nulloque genere sapientior Monachus, cum de Gabriele cœlestem Christi nascituri nuncium perferente concionaretur, Mariam ab eo inventam dixit, cum B. Virginis officium recitaret.

Ut festinaret abitum Hispanorum, qui tarde procedebat.] Cum abitus procedere sine stoliditate dici nequeat, haud scio, an Famianus procedebant scripserit, quo quidem non aliud æque in Hispanos convenit. Illis enim impendio arridet ista Plautina scænæ acroasis:

Liberos homines per urbem modico magis par est gradu
Ire: servile esse duco festinantem currere:
Præsertim in re populi placida atq; interfectis hostibus
Non decet tumultuari.

Ubi nullus a tergo hostis urget, id enim

enim si fiat, (quoniam deprendi miserum est,) tum demum levitate vacat, & cervum cursu, vel gradu grallatorem vincere aut certe militari gradu facessere. Itaque cum Hispanus quidam nudato tergo per vias a virgatore carnifice cæderetur, addere gradum monitus, ut tanto celerius defungeretur, minusque multas plagas acciperet, vultu quam maxime poterat ad severitatem composito, & caperata fronte respondisse fertur: *Quatro azotes mes, o menes, no me se da nada, con que tenga la gravedad*, id est, Si quatuor plagis plus minusve vapulem, mea nihil refert, dum gravitatem servem incolumem. Tam tenax, penitusque animis infixa paternorum monitorum memoria Hispanos quocunque loco comitari solet. Istic enim parentibus mos esse fertur, ut filios in Italiam, Belgium aut extremas orbis Indias iter jam ingressuros salutaribus vitæ agendæ præceptis instruant, cumque eos jam

domo pedem extulisse vident, hoc monitorum omnium compendium de fenestra prospicientes abeuntibus succlament : *Hyo, te enconcienda la gravedad, y despues & temor de Dios*, id est, Fili, Gravitatem in primis tibi cordi esse moneo, proxime Dei metum.

Ora cicatricibus intercisa.] Mallem dicere, cicatricosa, cicatricibus susceptis fœdata, turpata, aut signata, aut cicatrices facie exceptas. Intercidere enim est aliquid intermedium excidere : & intercise dicere, & in oratione mediorum quædam transilire, quod vulgo dicunt, saltum facere. Seneca Vatinii fauces concisas dixit, quæ erant strumosæ, cum multis cæsuris vel cicatricibus.

Non pauciores triginta capitum millibus, homines & jumenta numerabantur.] Magnum vero Famianus honorem Hispanis habet, ipsos, & jumenta in eundem numerum conjiciens, quid tandem magis pædagogo dignũ dici poterat?

Per

Per Liguriæ montes jussu Regis, uti obtendebatur, distributi sunt.] Mallem, uti ferebatur, præferrebatur.

Austriacus relatis conspirationibus peti sensit.] Oedipum me esse velim, ut quid relatis conspirationibus peti, argumenti habeat, expedire queam. Puto Famianum, si latine esset aliquanto doctior, dicturum potius fuisse: Conspirationibus se peti certorum hominum relatu comperit.

Classis Othomanica universi certaminis vitabunda elici e portu non poterat. Similiter pag. 346. *Regios milites hostium vitabundos experiri nolle Ordinum vires.*] Si minus stultividum, luscitiosum certe fuisse Famianum apparet, quem vox Classem in hoc Sallustii loco effugerit: Marius vitabundus hostium Classem ad opidum pervenit. Censeo autem Grammaticæ meæ Philosophicæ rudimenta consulat, istamque ejus regulam sedulo ediscat: Nomen Adjectivum non nisi terminationem cum participio passivo com-

communem habens, regit casum verbi sui, ut populabundus agros, vitabundus castra hostium.

In cujus fide plurimum sibi polliceri poterat.] Latine dicitur, de fide sibi polliceri.

Bredæ præsidium adhuc sceleratius suo cum Tribuno se gesserat.] Bene vel male cum aliquo se gerere, pro, adversus aliquem, (quomodo Cicero loquitur) unctum est ac sordidum, & popinalem Jesuitarum sapientiam redolet. Adhuc sceleratius, pro aliquanto etiam sceleratius, alienum est ab aureæ ætatis consvetudine. Adhuc prisce dictum est, pro ad hoc, sub audito loci vel temporis. Plaut. Pæn. Nihil adhuc locorum inepte feci. Cic. Adhuc hæc erant, ad reliqua acri tendebamus animo. Unam adhuc a te epistolam acceptam adhuc impetrare non possum. Ter. Vita, quam vixi usque adhuc. Interdum subauditur negotium, id est, Res, significatque Præterea. Cic. Nisi quidem adhuc

adhuc vultis. Posteriores tamen degenerante jam,(quod ipsi agnoscunt) lingva latina, adhuc, cum comparativo junxerunt. Senec. Si marmor, vel adhuc viliorem materiam illi obtulisses. Quintil. Callicles adhuc concitatior.

Sed nuncius ab Hollachio detectus, an ipsa exuta fide se prodidit? Compertis literis, attinetur in castris.] Turpe est Historicam narrationem sermocinationis speciem gerere, quod interrogando evitari nequit. Verum quidem est, An particulam apud auditores & epistolæ lectores (cum epistola altera colloquii pars sit) usui esse, nec tamen tam interrogantis est, quam dubitantis, & idem quod vel significat. Cic. Te expectamus ex quodam rumore, an ex literis tuis ad alios missis. Id ostendisti quibusdam literis ex Epiro, an Athenis datis. Paucis antequam mortuus est diebus, an mensibus. lib. 13. famil. Epist. 29. Non plus duobus an tribus mensibus. Ita

eſt in optimo codice antiquo. Satius ergo Famianus dixiſſet: niſi tamen ſe ipſe prodidit. Et mox: Repertis, inventis, aut deprehenſis apud eum literis. Comperire enim eſt ſcire, reſciſcere: adeoque recte dicitur, compertum eſt de literis tabellario datis, non item, compertæ ſunt literæ tabellario datæ. De attinetur, pro detinetur, aſſervatur, non dicam, quod non nemo dixerit eorum, qui ex Calepini aut Stephani Lexicis ſapiunt, eam verbi notionem non niſi apud Tacitum inveniri. Ex Plauto enim mihi notavi: Ita me vadatũ amore vinctumq; attinet. Ita me attinuit, ita detinuit. Et ex Terentio: ut animus in ſpe atque in timore usqve huc attentus fuit.

Donec nuncium eſſe, rediſſeque, fidem faceret probabilis mora.] Non probabilis erat mora, ſed probabilem faciebat itionem, reditumque nuncii. Inter eam quippe moram eſſe ac rediſſe poterat.

Milites

Milites Tribunum suum vinctum in manus hostium, hanc conditionem præ cæteris exposcentium perfide tradunt.] Non ipsam conditionem hostes exposcerunt, sed hac præcipue conditione pacti fuerant, ut Tribunus sibi vinctus dederetur.

De Bruxellensi aggressione in Senatu verba fecerunt, sed obstante exiguo militum numero, visum est huc atque illuc potius arma circumferre.] Obscure & ambigue significatur, Austriacum a Bruxella castris & armis tentanda militum paucitate deterritum, quod copiolas haberet extenuatissimas. Possent autem Famiani verba errorem legentibus objicere, quasi milites numero pauci Austriaco intercesserint, eumque obsidendæ Bruxellæ consilium abjicere compulerint.

Urbem tormentis & consertis manibus aggressus bis repulsus fuit.] Nisi me animus fallit, pedibus potius, quam manibus fuit eam aggressus. Pugna conserta dicere præoptassem.

Cum

Cum ea parte, quæ culpæ immixta non erat.] Latina ſunt, A culpa caſtus, culpa vacans, a culpa remotus, qui eſt extra noxiam vel culpam, carens noxia, crimine inſons, vel innoxius, a quo culpa procul eſt, culpæ inſcius, vel exors, qui nullam culpæ partem attigit, ad quem nulla manavit culpæ contagio. Pro immixtus culpæ rectius dixeris, Affinis, proximus, ſocius & conſors culpæ, vel particeps: ſed Famiano ſimiliter dicere viſum eſt pag. 363. Omnes culpæ immixtos, prædæ non omnes.

Præſidiarii relictis præter gladium armis, telisque atque omni impedimento abire permiſſi.] Sermo inverſus & confragoſus, nec enim ex verbis liquet, ſimulne cum gladio reliqua arma & impedimenta præſidiariis relicta, an ademta fuerint? Et præter gladium tam una cum gladio, quam excepto gladio. Illud porro, permiſſi ſunt abire, ſupra monui minus latine dici, cũ rectius ſit: Permiſſum eſt eis abire.

Sclopos reliquerant hostes *insertis pilis temperatos.*] Temperari dicitur, cui modus aliquis adhibetur, ut absit nimium & parum. Quod ergo tubis illis ferreis temperamentum pilæ plumbeæ afferre possunt?

Transactis propere conditionibus urbi pepercit.] Minime conditiones dicuntur transigi: sed negotia, quacunque conditione.

-*Novam Hannoniorum urbem, non nisi tres & viginti annos natam.*] Scio non defuturos, quibus hoc subridicule dictum videatur: sed non juxta scio, Tullium ne Famianus auctorem habuerit. cujus verba de claris orat. Athenis non nascentibus, sed jam adultis fuit Thucydides.

Farnesium bello imposuit.] Hoc non est latine loqui, sed Ducem aliquem imponere vel præficere.

Limburgum in edita rupe, prærupta circum valle inaccessum erat.] Magnæ stoliditatis est vallem dicere præruptam. Dicuntur enim prærupta, abrupta

rupta vel derupta loca, quæ descensum non habent, sed præcipitium, ut montes, saxa, rupes, unde etiam prærupta altitudo dicitur.

Inter collem & urbem clementior vallis erat.] Nimirum apud Tacitum Famianus legerat: Colles clementer assurgentes: molle & clementer editum montis jugum: & quoniam vallis & collis totidem literis dicuntur, nihil inter eas interesse; nec minus clementem vallem, quam clementem collem dici posse censuit.

Quasi victoriæ securus, ac de Regis urbe Regique subditis ferro perdendis tantummodo solicitus.] Quin imo de urbe ac popularibus conservandis solicitus videri avebat, quasi eos ferro perditum iri angeretur. Contrarium ergo ejus, quod animo conceperat, verbis Famianus extulit: cujus delirii causam ei prębuit ignoratio usus participii passivi, quod futuri temporis observatio significationem habere persuasum habet, cum ex Alvari sui

Gram-

Grammatica discere debuisset, participio illo potius debitũ officium vel necessitatem significari: cujus nisi turpis eum cœpisset oblivio, non infra hac ipsa pagina scripsisset: Non ignorabat, urbem, nisi se ipsa dederit, sero subigendam, pro subactum iri.

Adseveratio ad terrorem vultu hominem objurgat.] Asseverare est severe & serio aliquid dicere, utque Terentius ait, vero vultu, non inimice, non joci aut temporis causa, Quam vocis, severus, notionem hæc Plauti verba declarant Pænul. act. 5. sc. 3.

Opinor hercle hodie, quod ego dixi per jocum,
Id eventurum esse & severum & serium.

Asseverare autem vultum, nusquam legere memini, sed contrahere, subducere, caperare, constringere, corrugare vultum, frontem, supercilium. Senecæ est: Vultus tuus colligit rugas, & attrahit frontem.

Mulieres de genu veniam comprecantes,

tes, sic pag. 366. Regem de genu veneratur.] Pro genibus se excipiens, in genua procumbens. Legi quidem apud Tertullianum, de geniculis adorare, sed ejus exemplum apud meliorum temporum auctores, non aliud extare scio, quam hoc Senecæ, in libro de Provident. c.2. Nulli malo cedit, sed etiamsi succiderit, de genu pugnat.

Prævalida urbe tam facile incruenterque potitus.] Incruenter haud dubie barbarum est. Incruente tolerarem, quamvis nullum habeat auctorem.

Comiti Barlamontio senectus supremam imposuerat manum.] Dignæ sermonis lautitiæ, quas Jesuitici discipuli nunquam sibi e memoria elabi patiantur. Summam vel extremam manum operi aut cuicunque rei imponere, teste Servio in 7. Æneid. est cœpta perficere, sive ad perfectionem adducere: & est Metaphora a pictura, quam manus complet atque ornat extrema. Senectus autem mortem maturam homini adducens, nequaquam

quam eum perficit, complet aut ornat, ſed potius eum perimit, deſtruit atque abolet. Perfrica frontem, Famiane, teque meritum nega, quem ſcholarum veſtrarum ephebi ſibilo & convicio explodant.

Orangius ad mare Batavicum ſuum fundabat imperium, unde in Brabantiam explicaret.] Inſolens eſſe explicare imperium, pro dilatare, continuare, propagare.

Novum pro Belgio militem conſcribi.] Pro in uſum Belgii, neſcio quo ſe auctore tutari queat.

Milites veluti peracta Martis fabula optimi actores retulere plauſum.] Mediolanenſibus circiter duo proverbiorum millia feruntur, in quotidiano ſermone uſui eſſe, omnia a cibo & potu petita, quæ Ambroſius Blancus Juris conſultus ſibi notata & collecta affirmat. Id argumento eſt, popinalem ventris diſciplinam a Catio Philoſopho Epicureo, cive olim ſuo acceptam & per manus traditam nondum

dum ibi exolevisse, sed diligentius excultã fuisse: unde & Catii sui, velut indigetis, nec Cerere aut Libero minoris, adhuc sanctam habent memoriam, ejus nomen alternis verbis memorantes. Non dissimiliter Famianũ de scæna hominem & histricum quendam imperatorem arguunt tot ejus metaphoræ, a scenæ ludicro petitæ: quibus velut luminibus subinde orationem distingvit, quarum specimina supra pag. 16. & 257. vidimus. Sunt nimirum Jesuitæ artifices scænici, mimi, histriones, imperia & ducatus in scholis quotidie ludentes: estque inimica eorum virtus, inimica eruditio, & juventutis disciplina, inimica in concionibus, disputationibus, & scriptionibus facundia. Ludum æstimant esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecunque ex malo acquirere, nec minus lucri, quam ludi magistrum se præbere. Sapient. 15.

Sic

Sic prælium finivit.] pro, sic finem habuit, insolenter dictum.

Satius habuit arces aliquot humi deponere.] pro solo æquare, dejicere, demoliri, evertere, complanare, quorũ verborũ unũ quoduis Famianus elegisset, nisi eũ elegantia & judiciũ defecisset.

Si ordines in manus Gallorum Regis traderent provincias. Et infra pag. 369. *ut Belgium in manus Austriaci traderetur.*] Si Famianus proprie loqui voluit, fuit ineptus: quomodo enim Regis, aut Austriaci manus provincias caperent? Sin autem per translationem, aut Metonymiam, manus pro jure ac potestate dixit, fuit indoctior & insolentię reus. Sic enim in Manum dicere debuit, non manus. Cic. Quam velis eum obligare, in tua manu est. Cui in manu sit, quem esse dementem velit. Livius: in manu & tutela, non in servitio uxores habentur. Plaut. Servo tuo plus in manu est, quam tibi. Terent. Servum emittere manu.

Quo die juvenis occubuit, senex convaluit.

valuit.] Occumbere mortem, morti, vel morte, itemque conciſe, occumbere dicitur, qui ex vulnere moritur, & humi decumbit, vel procumbit, qui ferro perit, non qui fato cedit, qui tranquille exſtingvitur, qui morbo decidit, per morbum a vita diſcedit, qui naturæ ſatisfacit, & in ſuo lectulo moritur, quem natura morte mulctat, qui extremum vitæ diem morte ſua conficit, quem ex ægritudine mors conſequitur.

Eſcovedi rerum talium incentoris.] Quis unquã Latinus incentorẽ dixit?

Unico ne pietatis ſtudio, an rerum tædio, non facile ſeparaverim.] Latine dicitur diſcernere, dijudicare, decernere, ſtatuere, non autem ſeparare: cujus verbi longe alia eſt notio.

Patri & filio eundem natalis, ac prope mortis diem.] Plauti verſus eſt. emortualẽ mihi faciam hunc ex natali die. Itaque niſi cor & ſenſus Famiano defuiſſent, dixiſſet, eundem utrique natalem ac prope emortualem diem.

Magna

Magna ejus inſcitia eſt, ſi in Natalis neſcit ſubaudiendum diei : magna vero ſtoliditas, ſi natalis diei diem latine dici exiſtimat.

Ideo admiſſa eſt a me anceps hæc alea, ut Regi fidum me præberem.] pro tam periculoſæ plenum munus aleæ ſuſcepi. Admittere aleam, præter Famianũ,ejusque ſimiles, nemo dixerit.

Tantum eſt, piis aſſueſcere, dum ſapis.] tanti eſt, dictum oportuit, pro tanti, vel tam magni refert, vel intereſt.

Forte ignis arripuerat ædium partem, ubi Joannes cubabat.] Arripere, humilius, quam pro re tanta verbum eſt. Ovidius corripuerat,maluiſſet.Flammam ædes conceperant,Catullum olerit. Cicero, Lucretius, & Livius dixiſſent : domus fortuito igne, aut incendio ardebat : incendium in ædibus caſu, vel ſua ſponte ortum eam partem deguſtarat : Ea pars igne concepto flammas jaciebat.

Tradidit manum.]Porrexit manum oſculandam,dixiſſet Cicero: ad oſculandũ,Seneca.

Membra omnia inter se apte lepideque nexa.] Hoc Austriaco cum omni pene humano genere commune fuit, nec ea in re habuit præcipuum. Voluit autem Famianus in eo laudare venustatem & convenientiam partium, vulgo proportionem, quam Varro sic describit 2. rei rust. cap. 7. Canes formosos nulla parte corporis inter se congruenti.

In re præsumtæ suspicioni obnoxia.] Præsumere notat ante sumere. Sed nec sumere, nec præsumere suspicionem, latine dicitur.

Ut matrem, fratremque ejusdem uteri in fidem reciperet.] Putares matrem & fratrem Austriaci ex eodem exisse utero. Ambiguitatem evitare Famianus poterat, si dixisset: Matrem ejusdemque utero fratrem suum.

Austriaci filiarum alteram ignorabat, alteram non ab illo, sed a matre pridem noverat.] Latinius & dilucidius erat: alteram non illius, sed matris judicio noverat.

Index

INDEX

Copiosus rerum, & verborum hic occurrentium, ut & vocum non satis recte a Famiano adhibitarum. Numerus notat pag.

A.

G.

Gen-

H.

Humi

Immi-

Inter-

Mal-

Nodus

Re-

T.

V.

GASPA-

Gasparis Scioppii
De
STILO:
Sive
De Stili Historici virtutibus & vitiis
Judicium.

EUm, qui de ſtylo alicujus Latino Judicium ferre velit, dictionis ſive elocutionis virtutes probe cognitas habere oportet. Harum aliæ naturæ beneficio contingunt, & extra artis præcepta ſunt, ut Acumen & Gratia ſeu venuſtas: aliæ a dicendi Magiſtris tradi ſolent, & ſtudio parari poſſunt, quæ quidem in univerſum novem numerantur: 1. Perſpicuitas. 2. Latinitas ſive puritas. 3. Electio ſeu delectus verborum. 4. Tropus. 5. Figura ſeu Schema. 6. Collocatio. 7. Junctura. 8. Numerus Oratorius. 9. Copia. Harum virtutum, ſive propriorum adjunctorum, aut requiſitorum elocutionis diſtinctio

Stili Orat. virtutes naturales.

Acquiſitæ.

ctio fit partim ex qualitate, partim ex quantitate. Copia enim verborum ad quantitatem pertinet, cum ſit multitudo vocum, tam ſimplicium, quam conjunctarum, quibus unus & idem ſenſus efferri poteſt. Ratione qualitatis aut reprehenſionem tantum effugiunt, ut Perſpicuitas & puritas: quoniam, ut eſt in Bruto Ciceronis, non tam præclarum eſt ſcire latine, quam turpe neſcire: aut laudem etiam merentur, ut elegantiæ ſive cultus genera, quę materiæ & formæ ratione, aliter, atque aliter diſtinguuntur. Materiam voco ipſa verba, non modo ſimplicia ſeu ſingula, ſed etiam conjuncta; quæ vulgo Phraſes, ab antiquis, loquendi genera vocantur: Formam intelligo verborum compoſitionem. Jam materiæ ratione Elegantia, eſt vel Electio, vel

Ornatus. Electio eſt virtus orationis, eligens vocabula cæteris meliora, quæ & lectæ dicuntur, tanquam vel ſonantiora, vel grandiora, vel nitidiora, vel honeſtiora, vel uſitatiora. Ornatus orationem quibuſdam velut luminibus diſtinguit, in quo cum vocabulorum mutatur ſignificatio, Tropi nomen habet: Figuræ vero ſive Schematis, cum in ſignificatione nulla fit mutatio. Formæ ſive compoſitionis ratione, Elegantia in collocationem, juncturam, & numerum oratorium dividitur. Collocatio virtus eſt congruenter, ſuoque loco verba collocans, eaque vel ſingulorum verborum, vel conjunctorum. Illa aut naturalis eſt, aut artificioſa. Hæc verbo ſententiam, cum res fert, claudere laborat; Junctura virtus eſt orationis membra concinne

committens, ſive inter ſe conjungens: & vel ſvavitatem efficit, vel proportionem. Svavitas efficitur cavendo vitia quędam, quæ pronunciatu & auditu moleſta ſunt; Ut ſunt 1. aſperitas, ſive aſper conſonantium concurſus. 2. Hiatus ſive concurſus vocalium in fine prędentium, & initio ſequentium vocabulorum. 3. Repetitio ſyllabarum. 4. Continuatio verborum & nominum, tam longorum, quam brevium. 5. Continuatio ſimiliter cadentium, ſimiliterque deſinentium, ſive continuus uſus repetitionis ejuſdem ſoni in finibus ſententiarum. Proportio efficitur oratione juſtis intervallis varianda. Horum intervallorum aliud minus eſt, ut comma & colon: aliud majus, ut Periodus. De his in Rhetorum Scholis operoſe præcipitur, quemadmo-

admodum etiam de numero Oratorio, eoque inprimis, cujus in finibus, sive clausulis periodorum usus est.

Etsi autem istæ virtutes omnes in orationis dictione requiruntur: tamen ab Historiarum scriptore, nisi qui se iniquum prębere velit, pręter perspicuitatem & latinitatem nihil exigere queat. Rerum quippe gestarum veritatem profitetur Historicus: quam si plano & perspicuo Orationis genere exposuerit, suo functus jam munere videri debet; tametsi puritati sermonis non æque studeat. Hanc si præstet, tanto majores ei cum ab eis, quorum res præclare gestas commemorat, tum a lectoribus gratiæ debentur. E diverso nulla ei excusatio esse potest, qui publicæ utilitatis studio ductum, lucem rebus allaturum se professus,

Stili historici virtutes duæ.

1. Perspicuitas.

Obscuritas stili hist. vitiū.

animi ſenſa tam intorta, & confragoſa oratione complectitur, ut ei Oedipo aliquo conjectore, qui Sphyngi interpres fuit, aut urinatore Delio opus videatur. Qui enim generi humano utilia literis prodit, quod facit, qui ſcribit hiſtoriam, lucem temporum ac vitæ Magiſtram, ei, non ut a lectore lingvæ gnaro intelligi poſſit; ſed ne omnino poſſit non intelligi, curandum eſt. Itaque cum frivolam ſemper, tum etiam perditam judicavi defenſionem illam obſcuritatis in Tacito, qua Doctiſſ: & Cultiſſ: Lipſius utitur. Primum enim eum non tam ſuo, quam lectorum vitio obſcurum ſignificat, cum acutum & ingenioſum lectorem ejus eſſe oporteat. Hoc autem ſi verum eſt, Tacitum ambitionis plurimæ; judicii vero minime magni fuiſſe fateatur neceſſe

Taciti obſcuritatẽ fruſtra laudat Lipſ.

ceſſe

cesse est. Ingeniosum nempe videri se postulat Tacitus, qui ad sua percipienda ingenium lectoris requirat. Rursum vero captatæ spem gloriæ intercipit, quum non alios magis ad legendum admittit, quam qui opera ipsius facilius carere possunt. Homines enim acuti suo Marte id genus præcepta invenerint, ut Taciti lectione hoc nomine supersedere queant. Nec enim periculum videtur, ne nostræ ætatis ingenia, illis, quorum dissimulationes, imposturas, & scelera Tacitus descripsit, de malitia & calliditate quicquam concedere velint. Quid igitur attinet eos aliunde petere, quæ domi ipsis nascuntur, tanto præsertim intelligendi labore, ac velut ex Apollinis Cortina? Sic apparet, quam exiguo usus fuerit judicio, si tamen iis scripsit, qui eum minus

Homines acuti opus nō habēt Tacit.

morantur, tanquam cujus magiſterio ſibi ad id, quod volunt conſequendum, minime opus eſſe ducant.

Sed nimirum noluit in eo Lipſius obſcuritatis culpam agnoſcere, in quo ſe nihil æque quam intortum, & amputatum dicendi genus probare, vel imitando illo declarabat. Nam & ipſe hoc Eloquentiæ genere delectari ſe non diſſimulabat, ut pleraque ſignificare melius putet, quam dicere, & propria rerum vocabula fere aſpernetur, dum parum credit diſertum, quod & alius dixiſſet. A corruptiſſimo quoque cum Poetarum tum Pedeſtrium ſcriptorum, nullo ætatis, qua quisque vixit, diſcrimine, figuras & dicendi genera mutuatur; tum demum ingenioſius ſcilicet, ſi ad intelligendum quæ ſcribit, opus ſit ingenio. Judicio ejus vaticina-

Lipſii ſtilus.

ticinatus scilicet fuit, & insanivit Plinius, cum stultissimum esse scripsit, ad imitandum non optima quæque proponere. Livio non mediocriter eum succensere putes, qui Demosthenem & Ciceronem legendum imitandumque censuerit, tum ita ut quisque esset Demosthenis & Ciceronis simillimus. Sallustium omnibus præferre maluit, hominem, ut non nemo ejusdem ætatis censuit, non minus stilo & oratione, quam vita & moribus monstrosum, quem nemo veterum commemorat, quin cum historiam & alia ejus laudavit, aliquid sive in verbis ejus, sive in contextu & compositione desideret. Senecæ quoque compositionem præ Tulliana adamavit Lipsius, quamvis ea sit illud ipsum, quod Cajus Cæsar censuit; *Calx sine arena*. Verun-

Sallustii stilus.

Senecæ.

tamen, neque latinitatem, neque perſpicuitatem in Seneca deſideres: quas ejus virtutes ut imitaretur Lipſius nihil omnino laboravit. Sed Taciti dum ſimilior eſſet, quoniam Salluſtium ille imitandum propoſuerat, quomodo ſe viris gravibus, vereque doctis probaret, nihil penſi habuit. Neque tamen judicio lapſus hac in re videri poteſt, cum eo peracri & limatiſſimo fuerit præditus, & partim Juvenis Tullio feliciter imitando, (quod variarum ejus lectionum libellus ſatis probat,) partim vero ſenectutem jam proſpiciens, commendanda adoleſcentibus Ciceronis imitatione, quid rectius probabiliusque judicaret, aperte ſatis tulerit. Sed ambitio & inanis gloriolæ ſtudium, a recto ſimplicique genere hominem transverſum egit, quod ſe aliquan-

Lipſii judicium

Ambitio corrupit.

quando *Cymbalum juventutis*, ac ſemidoctis, id eſt, eorum qui literis cenſentur, parti, multo maximæ admirationi fore minime diffideret. Eadem quidem certe res Heraclitum Philoſophum induxit, ut in ſcribendo perplexus & obſcurus eſſe vellet, quemadmodum Lucretius judicat, cujus verſus ſunt: *Heracliti obſcuritas.*

Heraclitus init quorum dux prælia primus
Claris ob obſcuram lingvam magis inter inanes,
Quam de gravis Grajos inter, qui vera requirunt.
Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantq;
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt,
Veraq; conſtituunt, quæ belle tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Sed

Scipionis ambitio. Sed etiam Clariss: Heroi Scipioni Africano, Pauli filio non alia res quam ambitiuncula persvasit, ut loquendi consvetudinem migrare, & *Redarguesse*, pro Redarguisse, *Pertisus*, pro Pertæsus dicere auderet; quo nomine sic eum Lucilius agitat:

Quo facetior videare, & scire plus quam cæteri
Pertisum hominem, non pertæsum dicis, fortunam, genus.

Tacit. suo nō lectorū vitio obscurus. Esse vero Tacitum non tam lectorum, quam suo ipsius vitio obscurum, nemini, qui vel unicam ejus pagellam legerit, dubium esse potest. Quintilianus acerrimi vir judicii, quo Tacitum & minorem Plinium magistro usos suspicio est, tum alios, tum hos etiam obscuritatis modos numerat. Primum, qui fit verbis ab usu remotis, ut si commentarios quis Pontificum & vetustissima fœdera, &

exo-

exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his, ut quæ inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam ſoli ſcire videãtur. Deinde, qui fit in contextu, & continuatione ſermonis, ut cum brevitatis æmuli, neceſſaria quæque orationi ſubtrahunt verba, ut velut ſatis ſit ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putent. Peſſima vero ſũt (inquit) ἀδιανόητα id eſt, quæ verbis aperta occultos ſenſus habent. Horum unumquodvis, ſed poſtemum hoc maxime paſſim in Tacito invenias, in quem usque quaq; convenit, quod adjicit Fabius: *Peruaſit jam multos iſta perſuaſio, ut id jam demum eleganter, atque exquiſite dictum putent, quod interpretandum ſit.* Nobis autem prima virtus ſit perſpicuitas, propria

Eorũ natura, qui obſcur. affectant.

ver-

verba, rectus ordo, nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. *Plerumque accidit* (ait idem alio loco) *ut faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ a doctissimo quoque dicuntur. Nam & prima est Eloquentiæ virtus, Perspicuitas: & quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: ut statura breves in digitos eriguntur & plura infirmi minantur. Nam tumidos & corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur, & recto itinere lapsi plerumque divertunt. Erit ergo obscurior, quo quisque deterior.*

An Tacitus potius doctis, quam Principibus scripserit.

Alterum, quo Taciti obscuritatem excusare Lipsius nititur, hoc est, eum non omnibus, sed paucis tantum scripsisse,

psisse; iisque doctioribus, adeoque magis a Principum consiliariis, quam ab ipsis Principibus legi debere. At enim hoc minime est verisimile. Quisquis enim historiam scribit, is partim quæ gesta sunt, aliis cupit notescere, idque quam plurimis, quales sunt indoctiores ac minus acuti; partim utilitatem lectorum spectat, eorum maxime, quibus prudentia magis est necessaria, (tales autem sunt Principes) partim denique conficere sibi famam studet, diffusamque in multos homines & ætates nominis sui noticiam. Hujus autem parandæ maximum est in perspicuitate momentum, quod contra obscuritas facit, ut scriptor a majori hominum parte negligatur. Itaque nullo modo credibile est, Tacitum de industria obscure scripsisse, ut ab acutioribus

bus tantum doctioribusq; legeretur. Si tamen hoc largiri Lipſio velimus, non niſi ex parte Tacitum ſuum purgaverit; ex alia vero parte juſtiſſimæ reprehenſioni objecerit. Nam quod Principes, velut obtento obſcuritatis velo, excludere, & a ſui lectione procul habere voluit, non id nulla ratione fecit. Si enim in Principes illos intuemur, quorum vitas resque geſtas deſcribit, quis eos ullius virtutis exemplo noſtris Principibus futuros credat? Tiberius ſcilicet, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, generis humani portenta in exemplum Chriſtianis Principibus proponentur, ut cum prudentia & virtute, imperio præeſſe diſcant. Neque eſt quod quis mihi dicat, *cum virtus ſit vitium fugere, & ſapientia prima, ſtultitia caruiſſe*, nequaquam pœniten-

Tacit. lectio nil prodeſt Principi.

nitendū operæ pretium facturos Principes, si cum infelices id genus monstrorum exitus, legēdo Tacito cognoverint, sibi a moribus atq; vitiis eorum cavendum esse intelligant. Est enim remedium hoc ipso malo, non multo tutius, nec præstabilius: cum mala etiam, sine monstratore & magistro, facillime discant, quibus fortuna quicquid libuerit, ejus facultatem impertitur. Non est igitur tanti eos propositis immanitatis & malitiæ exemplis, tam illustribus velut admoneri, ac pudori eorum, si quo tenentur, fibulam laxari: quam ob rem facile patior aliquid hinc non modo excusationis, sed etiam commendationis Tacito accedere, quod cum *historias peccare docentes*, scribere se intelligeret, obscuranda oratione, ne multum Principibus nocere pos-

possent, cavere voluerit. Miror autem inprimis, ac propemodũ inter prodigia numero, primariis quibusdam sodalitatis Jesu patribus in mẽtem venisse, ut Principi, præsertimq; Ecclesiastico, & purpurato, (quod de visu & auditu testor & arguo,) non multũ in literis ac disciplinis addiscendis operæ sumendũ esse, sed satis ei fore censerent, si Latine tantum sciat, quantum ad intelligendum Breviarium, quod vocant, & ad peragendũ Missę sacrum requiritur: modo Tacitum habeat familiarissimum. Quorum sententiæ Johan: Marianam, Clarissim: ejusdem sodalitatis lumen favere nollem, cujus libri secundi de Regis institutione, cap. VI. hæc sunt verba: Confir-
„ matis studiis & peritia majori,
„ Tacitus a Principis Magistro
„ adjungatur horrida oratione
„ atque spinosa, sed arguta inpri-

Jesuitæ Tacitum principibus cõmendant.

mis, magnum rerum thesau- „
rum tegens, consilia Princi- „
pum, artes fraudesque aulæ. In „
alienis periculis & malis, quasi „
in speculo, nostrarum rerum i- „
maginem contemplari licebit. „
Idoneus auctor, quem nunquā „
Principes, nunquam aulici de- „
ponent de manibus, diu noctu- „
que versent. Quæ porro ho- „
minum istorum sit ratio, expu-
tare non possum. Nec enim e-
jusdem videtur, Tacitum tam
prolixe laudare, & Machiavel-
lo rursum se tam infestum præ-
bere. Ut enim temporis causa
verum esse fatear, tam nefaria
ac bonis moribus inimica scri-
psisse Machiavellum, quam
plerique persuasum aliis volunt,
nihilo tamen illo melior inve-
nietur Tacitus. Machiavellus
nempe male agendi præcepta
sive regulas, Tacitus exempla
tradit. Uter tandem censeri
debet

Tacit. Machiavello perniciosior.

debet deterior ac legentibus exitiosior? Si Senecæ rei hujus arbitrium detulerimus, respondebit ille, quod rationi maxime est consentaneum: *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.* Verum Machiavello alias advocationem, salva tamen Ecclesiastici adversus eum decreti auctoritate commodabimus. Quamque improbe & intolerabiliter calumnientur, qui verba quædam hinc inde excerpta, invidiæ quærendæ caussa, nulla reliquorum, quibus mentem suam interpretatur, mentione facta, lectoribus repræsentant, planissimum, Deo favente, faciemus. Interea Marianæ, cæterisque Jesuitarum, curæ esse velim, quid de prudentia sua existimare alios postulent, cum Tacitum propter artes & fraudes aulæ a Principibus die ac nocte legi svadent,
quem

quem Lipſius ideo, ne a Principibus legeretur, obſcuritatem captaſſe, perſuaſum cupit.

Sin autem in eo ſubſcribere Lipſii ſententiæ placeat, non niſi Principum conſiliariis, & adminiſtris ſcripſiſſe Tacitum, ac propterea animi ſui ſenſa obſcurius prompſiſſe: abeſſe non poterit, quin argutæ caput hiſtoriæ præbeat, multumque merito ſuo vapulet. Quotum quemque enim ex iſtis, quorum cauſa ſcripſit, inveniri putabimus, qui Tacitum vel per caliginem intelligat? quam multi ſunt, qui Lipſium ipſum pleraque ejus non percepiſſe, eaque re preter notas quaſdam Grammaticas, quibus ritus fere veteres explanantur, nihil ab eo ad intelligendum Tacitum opis allatum eſſe contendant? Et de me quidem ingenue fateor, ac præ me fero, quamvis mini-

Propter Conſiliarios Principum non debuit obſcurare orationẽ Tacitus.

me in Latinis ſcriptoribus hoſpes ſim, me tamen paſſim in ſcriptoris hujus lectione caligare. Ita pœne perpetuum ejus vitium animadvertere videor, quod τὸ ἀδιανόητον Fabius, ut dixi, vocat, cum videlicet aperta verba ſenſus occultos habent. Quid jam illis uſu venire credendum eſt, qui neque Latina ſatis intelligunt, neq; otium habent, ut diu multumque, quid σκοτεινὸς iſte ſibi velit, cogitare poſſint. Neque tamen negavero, inveniri quoſdam, qui modice, vel etiam infra modum in literis verſati, ſuſpicione non aberrent, mentemque tenebricoſi quamvis ſcriptoris feliciter aſſequantur. Sed eoſdem perſuaſiſſimum habeo, ipſo Tacito nihilo incallidiores eſſe, adeoque iſto artium & technarum aulicarum magiſtro æquis animis carere poſſe.

Sic apparet, neutrorum causa obscurare eum, quæ scribat, debuisse. Non illorum, qui literis & ingenii acumine minus possunt; quoniam eos adjumenta ad obscura intelligendum necessaria deficiunt. Non horum etiam, qui capitales sunt & acuti, quoniam iis aut meliora, aut non multo saltem deteriora domi nascuntur. Aut igitur omnia me fallunt, aut de animo suo conjecturam fecit Lipsius, cum tanto usui Principum consiliariis scriptorem hunc fore credidit. Erat quippe ingenii minime vafri, & prisci moris, ac fidei, cui solennia ista palatinis latrocinia, & artes patriciæ, nisi tali monitore non facile in mentem venissent, in scholis præsertim, per quietem, & sine cujusquam injuria ætatem transigenti. Conjecit igitur idem aliis usu ven-

Cur Lipsius tanti fecit Tacitum?

turum, ſeque minime vulgarem a Palatinis, ſive Aulicis gratiam initurum, quibus ad tantum calliditatis doctorem velut pædagogus fuiſſet, aut digitum ad ſcholam ejus intendiſſet. Hinc natum eſt præclarum illud elogium: *Tacitus ſapientiæ ſimul & prudentiæ verus dux, cujus hiſtoria hortus eſt, & ſeminarium præceptorum.* Sed quantum in eo fidei mereatur, homini non prorſus obtuſo hinc judicare promptum erit. Sapientia divinarum & humanarũ rerum ſcientia eſt. Videamus igitur, quid de divinis rebus dicere queant, qui Lipſianum ſapientiæ ducem ſequi volent. Primum ejus præceptum eſt, aut Deum non eſſe, aut eum nullam rerum humanarum curam gerere. Alterum vero, Deum, quem Judæi colebant, eſſe aſinum, legem Moſis eſſe inſtituta ſiniſtra, ac fœda.

Lipſii de Tacito elogiũ.

Sapientia ex Tacito quæ.

fædæ pravitatis mores abſurdos, ſordidosque. Tertium denique, Chriſtianam fidem eſſe exitiabilem ſuperſtitionem, & qui eam profitentur, eſſe ſontes per flagitia, toti generi humano inviſos, & noviſſima exempla meritos. Ite nunc Regum, Principumque conſiliarii, & habita Lipſio fide, verum hunc ſapientiæ ducem & Magiſtrum adoptate, quem ipſe ejus Encomiaſtes veris victus *in Epicuri caſtris* eſſe, comm: ad XIV. annalium, perſpicue fatetur. Humanarum rerum quid ab eo magnopere diſci queat, adhuc quæro. Sapientiam enim a prudentia diſtingvit Lipſius, cum ſe Tacitum commendare ait, ſapientiæ ſimul ac prudentiæ verum ducem. Situs locorum nonnullorum, fateor, tum bituminis naturam accurate deſcribit, quæ res Phyſicæ

Taciti diſcipuli, Epicurei & Athei.

& Geographicæ ſubjiciuntur. Sed eadem, & iis ſimilia ab aliis Scriptoribus nihilo deterius traduntur. Neque eſt, cur hinc potiſſimum ſapientiam petere debeamus. Prudentiam hic intelligimus ſcientiam eorum, quæ in civili vita facienda, & fugienda ſunt. Ejus laudem qui Tacito tribuerit, ex antiquis nemo exſtat, & recentiorum primus id fecit, ni fallor, Lipſius. Hoc autem ut nobis perſuadeat, non auctoritatem nobis ſuam, ſed rationem, ſive argumenta afferat oportet. Auctoritatem enim ejus, quamvis aliarum rerum maximam non una res diluit; inprimisq; quod uſum verum, vel maxime neceſſarium prudentiæ parandæ adjumentum non habuerit, & fere non niſi Muſis, inter adoleſcentum ſubſellia operatus fuerit, tum quod aſſerenda

Taci-

Tacito ſapientiæ laude graviter judicio lapſum fuiſſe, & amori erga Scriptorem, cui olei operæque multum impertitus eſſet, intemperanter indulſiſſe modo apparuerit. Rationem non reddit aliam, niſi quia nihil ſit in moribus eorum, de quibus ſcribit, quod non tangat; nihil in affectibus, quod non revelet, quodque ſententiis creber ſit ad vitam agendam utiliſſimis. Sed iſta minime certæ prudentiæ argumenta eſſe, hunc in modum vincere poſſe videor. Quæ de hominum moribus aut affectibus ſcripſit, aut bona fide retulit, ſicut in actis & commentariis invenerat, aut de ſua ſuſpicione finxit. Si prius, aut nulla, aut tota aliena ejus rei laus eſt. Sin alterum, non tam prudentiæ, quam pravi ac ſuſpicacis ingenii documentum dedit:

Rationes Lipſii ad probandã Taciti prudentiã.

quid nimirũ aliis animi fuiſſet domi, ac de ſe cõjecturam fecit, adeoque Tertullianæo illo recte conveniri poteſt: *Si potes iſta de aliis credere, potes & facere.* Cæterum ex Rhetoricis Ariſtotelis ad Theodecten libris, qui homines, quibus affectibus plerumque obnoxii eſſe ſoleant, ita cognoſcere licet, ut Taciti eam ad rem opera merito ſupervacua videatur, cujus unum fere opus ac ſtudium eſt, mores peſſimos, ſuſceptasque deteriorum affectuum impulſu actiones ita notare ac deſcribere, ut non tam narrare, quam docere videatur. Certe ſi quis hodie concionator homines matrimonio conjugatos, quantocunque ſupercilio, & ſententiarum gravitate moneat, ne dum liberum quærendorum cauſa corpora commiſcent, ſic libidinem expleant, quaſi non tam veſtimen-

Tacitus malos mores docere videtur.

menta,quam pudorem,omnemque ſui reverentiam effuderint, &, verbi gratia, neque maritos Melanionem humeris Atlantæ crura ſuſtinentem imitari, neq; uxores aut equo laſcive vehi, aut Parthi fugam corporis habitu exprimere jubeat, eum omnes ſani non tam laſciviam reprehendere, quam Elephantidos aut Philænidis ſchemata explicare, & Hypolyto fibulam laxare velle judicent. Nihil ergo eſt,quod usque eo ambitioſa peſſimorum expoſitio, tantam prudentiæ opinionem Tacito conficiat.

Sententiarum frequens uſus nõ eſt prudentiæ argumentum.

Neque autem denſitas ſententiarum aut frequentia, multo certius prudentiæ argumentum eſt, quando etiam illos, quos nemo prudentiæ laude afficere volet, ſententiis plurimum uti videmus. Non longe abiero. Salluſtium quis ne-

Salustius sententiosus, nec prudens.

nescit ita historiam sententiis refercire, vix ut quisquam sit, quem non longo post se relinquat intervallo. Sed ejus prudentiam qui laudaret, non modo æqualium nemo, sed neque posterioribus ætatibus quisquam inventus fuit. Ipse etiam Lipsius procul aberit, ut eam illi laudem afferat, si constare sibi in eo volet, quod alicubi in politicis ex Aristotele laudat: *prudentem neminem esse posse, quin idem sit vir bonus.* Quis enim paulo humanior ignorat, quanta Sallusti in libertini generis prostibula fuerit insania, quantus in permolendis aliorum uxoribus furor, quantus in quotidiana vita luxus & nepotatio? Neque tamen talis cum esset, gravissimas & censorio supercilio dignas sententias fundere dubitavit: quæ quidem res cum in juvene, quique

ad

ad ſenilem ætatem nondum proceſſerit, Ariſtoteli in 2. Rhet. indecens videatur, tum eos vel maxime dedecet, qui vix ferenda in juvene vitia, luxuriam & nequitiam, ne in provectiore quidem ætate miſſa faciunt. *Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola*, ſive ſententia, ait Salomon Prov. 26. Deinde autem non eſt obſcurum, ſtudio quodam & artificio facultatem τῦ γνωμωλογεῖν, id eſt, ſententias loquendi, etiam ſine prudentia parari poſſe: nam ex omnibus fere inventionis Logicæ locis ducere eas licet, velut Fabius Lib: VI. c.III. monet, mihiq; vir nobilis amicus meus exemplo ſuo fidem aliquando fecit, cum inveniendi rationem a Raimundo Lullo, lutulento & inepto, ſed tamen portento-

ſi acuminis ſcriptore, traditam obſervans, tam graves & argutas diverſis de rebus ſententias formaret, ut quovis veterum ſcriptorum dignæ viderentur. Et iſtud quidem minus ægre ſibi perſuaderi patietur, qui ab Ariſtotele in Rhetoricis ſcriptum meminerit: ὅι γὰρ ἀγροικοὶ μάλιςα γνωμολύποι εἰσὶ, καὶ ῥαδίως ἀποφαίνονται. Agricolæ enim maxime ſententiarum compoſitores ſunt, & facile eas proferunt. Conſtat etiã eo ſtatim ſeculo, quod ætatem Ciceronis excepit, ſimul Reip: & Eloquentiæ mutatam fuiſſe formam, omnes ingenii nervos eo contendentibus declamatoribus, ut ſententiis orationes ſuas non ornarent, ſed refercirent: quam eorum licentiam & intemperantiam Fab. lib. 8. c. 5. graviter notat. Ab ea conſuetudine natam putemus licet

non

non ſolum Tacito, ſed aliis etiam illius ætatis. ſcriptoribus ſententiarum frequentiam; quamvis haud parum fortaſſe in rebus gerendis prudentiam alioqui præſtarent.

Cur tot hodie Taciti amatores?

Quid igitur cauſæ eſt, inquies, cur tam multos hodie Tacitus amatores & cultores habeat, ſi & obſcurus eſt, neque tam edecumatus, & unius prudentiæ magiſter? Reſp. quod res eſt, non unam eandem omnibus cauſam eſſe, cur ipſius ſe ſtudioſos videri velint, aut etiam vere lectione ejus oblectentur. Alii, quoniam revera acuti & aſtuti ſunt, ſcriptorem hunc, propter ingenii ſimilitudinem non poſſunt non amare. Similia vero grata & jucunda eſſe nemo neſcit. Et hæc ipſa cauſa iis Tacitum commendat, qui quadam naturæ depravatione obſcuritatem a-

mant, ex qua nota præceptor ille fuit, cujus ex Livio meminit Fabius, qui discipulos obscurare, quæ dicerent, jubebat, Græco verbo utens σκότισον. Opinionem scilicet ingenii & acuminis sibi ex obscuritate accessuram spe præcipiunt. Natura porro insitum est hominibus, ut exsuperantiam sive excellentiam in aliquo bonorum genere concupiscant; alii quidem remissius, alii vehementius. Inprimis autem ingeniosi videri affectant, quoniam rationi, quæ proprium hominis bonum est, nihil est ingenio conjunctius. Hinc illud Poetæ:

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Usu autem venit, ut fere nemo magis ingeniosus & astutus videri affectet: quam qui maxime omnium hebetes sunt, & obtusi. Ac propterea nonnulli haud fere quicquam præter

Taci-

Tacitum crepant, quod omnibus perſuaſum eſſe putent, neminem eo delectari, quod non intelligat : qui vero Tacitum intelligat, eum ſolertis ingenii & aſtutum eſſe oportere. Alios ipſa intelligendi Taciti difficultas, ſine vanitate delectat, quoniam in obſcuritate lucta, ſive certamen ineſt. Certare autem, natura jucundum eſt propter ſpem victoriæ. Is porro vincere ſibi videtur, qui difficultates eluctatur ac ſuperat, intelligendo, quod latebat. quod ipſum in ſolvendis modis, & inveſtiganda ingenioſarum quæſtionum reſolutione uſu venire ſic Seneca lib. 5. Ben c. 12. demonſtrat : *Dices me operam bona fide perdere ; quid enim boni eſt nodos operoſe ſolvere, quos ipſe ut ſolveres feceris ?* Sed quemadmodum quædam in oblectamentum & jocum ſic alli-

alligantur, ut eorum ſolutio imperito difficilis ſit; quæ ille, qui implicuit, ſine ullo negotio ſeparat: quia commiſſuras eorum & moras novit; nihilo minus illa habent aliquam voluptatem, (tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant) ita hæc, quæ videntur callida & inſidioſa, ſecuritatem, torporem, ac ſegnitiem ingeniis auferunt, quibus modo campus, in quo vagentur, ſternendus eſt, modo ſcabri aliquid & confragoſi objiciendum, per quod crepant & ſollicite veſtigium faciant. Sed eſt hæc otioſorum fere hominum voluptas, quibus nihil eſt gravioris negotii, quemadmodum de Salluſtiana brevitate & abrupto genere dicendi cenſet Fabius, ab otioſo lectore facilius intelligi, ſed audientem tranſvolare: quid vero ſit illud quod voluptatem

iſtis

iſtis affert, ſi Taciti mentem perceperint; idem Fabius ſic exponit: nonnullis grata ſunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine ſuo delectantur, & gaudent, non quaſi audierint, aut legerint, ſed quaſi invenerint. In hos cadere videtur, quod ait Seneca Epiſt: 68. *Multi aperta tranſeunt; condita & abſtruſa rimantur. Vile videtur, quicquid patet.* Plerosque ſententiarum in Tacito frequentia oblectat; quod quo pacto fiat in Rhetoricis docet Ariſtoteles: *Magnum*, inquit, *orationibus auxilium afferunt ſententiæ, non modo, quia probitatis opinionem dicenti conciliant, ſed etiam propter auditorum vanitatem. Cum enim ſententia ſit enuntiatio in univerſum de rebus agendis, aut fugiendis, gaudent, ſi quis univerſe loquens, incurrat in eas opiniones, quas ipſi in parte habent. ut ſi cui mali vicini obtigerint, facile aſſentitur dicenti:*

centi:

centi: Nihil est odiosius vicinia, aut si quis parum morigeris utatur filiis, probabit hanc orationis sententiam: Nihil est filiorum procreatione dementius. Sunt hoc amplius, quos insanabile illud scribendi cacoethes tenet, qui Tacitum velut segetem gloriolæ suæ, aut etiam tanquam compendii sui pararium exosculantur. quicquid unquam vel legendo, vel audiendo cognoverunt, atque ideo quicquid aliquando soñiarunt, id captata in Tacito, unius atque alterius voculæ occasione operose congerunt, & disputationes sive discursus politicos, aut commentarios in Tacitum inscribunt. Sciunt enim quadam seculi labe fieri, ut Tacitum omnis prudentię & solertiæ promptuarium quoddam esse, plerique existiment, adeoque cupidissime legant, quicquid aliquam verbis ejus

lucem allaturum videtur. Hinc ſibi plauſum iri augurantur, tanquam quibuſdam myſteriorum politicorum inſtitoribus, opima etiam præmia ſibi a Regibus & Principibus eventura ex aliorum exemplis confidunt. Præterquam vero quod iſti, ſive ſtoliditate ſua, ſive ſuccesſuum proſperitate, ſtomachum viris gravioribus, & intelligentibus movent: utrosque etiam gallinis facere ſimile dolendum eſt. Ut enim illæ obſipatam eſcam relinquentes, alicubi in ſterquilinio multum unguibus ſcalpurire malunt, donec granum aliquod, vel etiam vermiculum eruant: ſimiliter iſti tot graves prudentiæ magiſtros, cum Philoſophos tum Hiſtoricos, aut penitus negligunt, aut fere non niſi dicis gratia, aut prætereuntes legunt; ex quibus tamen ſaluberrima, cumvi-

Tacit. amatores gallinis ſimiles.

cũ vitæ agendæ, tum Reip: gerendæ præcepta, ſine ullo morum depravandorum periculo, nihilque in verbis eorum hæſitantes, haurire poterant; in Tacito autem auctore peſſimorum exemplorum facundiſſimo, tempus & operam omnem conterunt, tantum ut ſententiolę alicujus argutia theſaurum ſuum augeant. Quibus ſi literarum ſacrarum lectionem conſvadere velim, nempe inſaniæ non vulgaris ſtatim ab iis condemner: quamvis omnes in iis verſatos, facile mihi aſſenſuros ſciam, ſi homines iſti decimam modo ejus ſtudii partem, quod Tacito cognoſcendo & interpretando impenſum eſt, in lectionem S. Bibliorum, inprimisque Librorum Regum, Paralip: Proverb: Salom: & Prophetarum contuliſſent, non ſolum multo meliores eos, ſed

etiam

etiam prudentiores evaſuros fuiſſe, multoque hodie præclarius cum Rep: Chriſtiana actũ iri. Nec enim Reip: noſtræ, id eſt, Eccleſiæ Chriſti jus civile modo, i.e. fidei, ſpei & charitatis præcepta; Sed etiam Politica in S. Bibliis continentur, quod partim in *Eccleſiaſtico* meo, & in *Thaumatologia* ſatis demonſtraſſe videor; partim etiam, ſi vita & otium ſuppeditet, alias diſtinctius & uberius demonſtraturum me confido. Nunc ad Tacitum ex diverticulo revertor, qui non parum multis eo in deliciis eſt, quod ipſi curioſitatis & malevolentiæ vitio affecti ſint, adeoque voluptatem capiant, cum aliena mala aut narrari audiunt, aut legendo cognoſcunt. Cum videlicet ſuorum ſibi vitiorum ſint conſcii, tametſi ab iis liberi eſſe malunt; aliquanto melius ſecum agi putant,

Sac. Bibl.

tant,

tant, si alios homines, sive iisdem, sive majoribus obnoxios esse, aut fuisse discant. Inveniuntur denique homines ab omni penitus vera virtute derelicti, qui sui imaginem in plerorumque vita, qui a Tacito commemorantur, cum voluptate quadam recognoscunt; sibi etiam illuc, quo eos sinistrum ingenium, & naturæ impellit perversitas, alienis exemplis animos velut addi gaudent. Conscientiam nihil verentur, Deum, cui actorum aliquando reddenda sit ratio, nullum esse credunt, nec fide, nec lege ulla teneri se volunt. Principes fædissime adulantur; amicos & æquales occasione data circumveniunt, & evertunt; inferiores denique immisericorditer vexant, & deglubunt. Eadem porro omnia ab iis jam olim factitata, neque ferme quicquam aliud,

aliud, Tacito legendo comperiunt. Neque vero dubium habeo, quin ſecunda omnium bonorum, vereque prudentium voluntate, quod Eudamidam olim de Athenis dixiſſe Plutarchus refert, ego in Tacitũ recte conferam. *Non poteſt*, inquit ille, *urbs iſta merito laudari, quam nemo propterea dilexit, quod ibi factus eſſet melior.* Similiter ego: Nõ poteſt, inquam, auctor ille merito laudari, quem nemo propterea dilexit, quod vel melior, vel ad ullam laudabilem actionem incitatior, vel denique eorum, quæ ſtatum publicum formare, ac ſtabilire queant, ſcientior ab ejus lectione diſceſſerit. Sic igitur ſatis planum feciſſe videor, nullam neque Tacito, neque cuicunque Hiſtorię conditori obſcuritatis excuſationem eſſe.

Reli-

II. Stil. hist. Virtus. Reliquum jam eſt, ut de altera dictionis hiſtoricæ virtute, quam puritatem, ſive Latinitatem eſſe dixi, ſimiliter diſputare incipiam. Puto autem vel tacente me, quid puritatem appellem, intelligi: eam ſcilicet dictionis virtutem, quæ hoc præſtet, ut pura ſive emendata ſit oratio, id eſt, ne quod in eo verbum ſit, aut loquendi genus, quod iis, quæ vel præcepta, vel recepta ſunt, id eſt, vel regulis Grammaticis, vel conſvetudini, & idiomati Romanorum adverſetur. Nam quicquid eſt ejuſmodi, impurum & barbarum appellatur. Cæterum ne quis in hujus rei judicio error admittatur, Latinæ lingvę ætates, ante omnia diſtinguere ac definire oportet. Earum ergo aliam auream, aliam argenteam, æneam, ferream, ligneam, luteam denique vocare ſoleo.

Aureæ ætatis eos facio ſcriptores, qui a bello Punico ſecundo pæne ad extremum usque Auguſti imperium floruerunt: inter quos omnium eruditorum conſenſu primæ M. Tullio Ciceroni debentur. Plebeja quorundam judicia, ſi ſapiam, morari non debeo, qui cum vix tria verba Latina ſcribere didicerint, Tullianam ſermonis divinitatem contemnere, ſuumque judicium conſenſui omniũ ſeculorum prȩferre non verentur, quos verborum diſputatione ad verum converti fruſtra ſperem: Hellebori jugere an perſanari poſſint, medicorum cura eſto. Neque tamen illud non fateor, ejus ætatis quoſdam poſteriorum judicio minime Latine locutos, ut Cæcilium, Pacucium & Atilium: alios vero ejus eſſe notæ, ut eorum dictio aurum ſit, quod tamen mul-

Aureæ ætatis ſcriptores.

multum scoriæ aut purgamenti admistum habeat, neque dum satis excoctum & perpurgatum videatur. Cujus generis reliqui hodie sunt Plautus, Terentius, & pauca quædam Ennii Lucilii, Nævii, Catonis & similium fragmenta: de quibus operæ prætium est, quid ipse judicaverit Tullius, cognoscere. Ejus. lib: 3. de Orat. verba sunt: *Omnis loquendi elegantia quamquam expolitur sciētia literarum, tamen augetur legendis Oratoribus & Poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope præclare locuti: quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine, neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consvetudo nostra non utitur.* Et in Bruto cum de Catonis orationibus loquitur; *Antiquior est hujus sermo*, inquit, *& quædam horri-*

Ciceronis de Veteribus judicium.

horridiora verba. Ita enim tum loquebantur, id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone & quasi coagmenta. Jam neminem antepones Catoni. Sed hoc Ciceronis consilio, neque amicus ejus M. Terentius Varro, neq; discipulus & cliens M. Cælius, neque inimicus C. Sallustius, utendum sibi putaverunt. Præterquam enim quod multis modis vitiosa, nihiloque, quam veterum melior est eorum compositio, tum passim nimis exoleta, & prope jam situ raucida orationi vocabula admiscent. Qua sua κακοζηλία, quin Tullio, Cæsari, Messalæ, Nepoti, Servio, Sulpitio, Plauto, & politissimo, prorsusque ad unguem facto homini Cn. Martio risum sæpe moverint, nihil omnino dubito. L. quidē Sisennam familiarem suum festive

Varronis, Sallustii inepta scribendi ratio.

O de-

deridet Tullius, quod in ea foret hæresi, ut inusitate loqui, id putaret esse recte loqui. Et Jul: Cæsar, ut testis est Agellius, in lib: de analogia, hoc monitum inculcat: ut tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. Nominatim vero Sallustium Augustus exagitat, quod studio haberet, obsoleta verba ex Catonis originibus excerpere; propter quam rem Lenæus ejusdem seculi Grammaticus, Sallustium non minus *scriptis, quam vita monstrosum, & priscorum Catonis verborum eruditissimum furem* appellabat. Rectum porro, neque justo quamvis odio depravatum fuisse hoc ejus judicium, Atteius Philologus, nobilis eadem ætate Grammaticus satis præstiterit. Is enim cum esset Sallustii familiarissimus, eum *breviario rerum omnium Romana*

Antiquorũ de Salustio judicia

Lenæi.

Attei.

mana

manarum instruxit, ex quibus, quas vellet, eligeret, & historiæ suæ insereret. Eo defuncto Asinium Pollionem historiam componere aggressum, præceptis de ratione dicendi sic instruxit, ut ei nihil magis suaderet, quam ut noto, civilique & proprio sermone uteretur, vitaretq; maxime obscuritatem Sallustii, & audaciam in translationibus. Sic igitur habemus, quid Criticus hic multiplici,ut ait Svetonius, variaq; doctrina censeri solitus, de Sallustii familiaris sui stilo censuerit, eum videlicet uti sermone *non noto*, sed abstruso, seu desito, *non civili*,sed peregrino & Græcissante (*ex Græco translata Sallustii plurima*, ait Fabius)*non denique proprio*, sed audacter translato, sive nimis Metaphorico. Cassius quoque Severus, summus eorundem fere temporum Orator, ut apparet,propter easdem causas, ita de Sallustio ju- *Cassii Severi.*

dicabat, ut *ejus Orationes nihilo meliores esse diceret, quam aut Ciceronis versus, aut Virgilii prosam*, quasque nemo intelligens, nisi propter historiam, lectione dignaturus esset. Etiam Seneca Philosophus, & Fab: Quintilianus vitiosam Sallustianæ orationis compositionem notare non dubitarunt. Seneca enim *Sallustio*, inquit, *vigente, amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obscura veritas fuere pro cultu.* Fabius autem: *vitanda illa Sallustiana (quanquam in illo virtutis locum obtinet) brevitas, & abruptum sermonis genus.* Censet, ut res est, quod in Sallustio est optimum, maximeque laudatur, idem esse vitiosum, minimeque imitandum. Siquidem brevitas illa, quæ multis eum commendat, neque rebus inest: (eas enim fuse satis narrat) neq; in oratione tota, sed tantum in inci-

Senecæ.

incisis atque membris : *Solet esse quædam partium brevitas* (ait idem dicendi Magister) *quæ longam tamen efficit summam. Verbi gratia, si dicas : in portū veni, navim prospexi, quanti veheret, interrogavi, de pretio conveni, conscendi, sublatæ sunt anchoræ, solvimus oram, provecti sumus. Nihil horum dici celerius potest, sed sufficit dicere ; e portu navigavi : Ita cum in sententia, tum in verbis inerit brevitas.* Sed Sallustiana brevitas non nisi in verbis est, quorum partem amputat vel abrumpit, quæ altera illi obscuritatis causa esse solet: Nam unam esse nimiam, ut Asinius Pollio arguebat, *priscorum verborum affectationem*, modo demonstravimus. Hoc amplius autem *novandorum verborum licentiam*, multos non mediocri ingenio viros in eo reprehendere solitos, ex Agellii testimonio discimus. Quod ipsum

Salustiana brevitas vitiosa.

non minus quam Archaismus, ſeu deſitorum verborum uſus orationem infuſcat, impuramque reddit, qua de re poſt paulo diſtinctius agemus. Sed etiam Lucretius & Catullus proprietatis verborũ alioquin retinentiſſimi, neque exquiſita elegantia cuiquam ſecundi, obſoletis pluſculum utuntur. Sed eos metri excuſat neceſſitas. Cæteri, quibus perennare, & ad noſtram usque ætatem caneſcere contigit, ejus ſunt notę, ut ad eorum ſcripta, tanquam ad obruſſam puritatis & elegantiæ Latinæ omnium poſteriorum orationem exigere debeamus. Ii ſunt Cæſar, Livius, Cornelius Nepos, Virgilius, Horatius, Propertius, Tibullus & Vitruvius: qui tamen præter τεχνολογήματα, id eſt, propria artis fabrilis & architectonicæ vocabula, neque

Lucretius & Catullus.

τάχα-

τὰ καπηλικὰ, id est, tabernaria, & a sellulariæ operæ artificibus teri solita, chartis illinere dubitavit, quod orationis vitium Virtutis, quæ Dilectus, seu *Electio* verborum dicitur, contrario nomine oppositum etiam hodie in multis vernaculo sermone scribentibus situm invenias, qui tamen exactam ejus lingvæ notitiam profitentur: eoque vitio laborare, & orationem inquinare solitum Augustum Cæsarem veterum judicio comperimus. Hujus notæ vox est *quadriga*, pro curru quatuor equis juncto, apud plebejum scriptorem Hyginum, qui dicit: *in quadriga sedere*, cum Cæsar, Cicero, Livius & alii, *quadrigas* dicunt, quatuor equos junctos significantes, & inde *quadrigarum currus* apud eosdem. Plebejis quoque vox est *nullibi*, apud Vitruvium

lib. VII. princip. quod Basilius Zaruhas in Epitome monuit. Sed eam vocem nisi cæteri plebejam sordidamq; judicassent, alicubi eam usi fuissent, cum prope quotidie eveniret occasio. At enim illi *nusquam* constanter dicunt, nullibique legitur *nullibi*.

Argẽtea ætas. Auream argentea excepit ætas postremis Augusti annis, & sub Imperatoribus, Tiberio, Caligula, Claudio & Nerone; in qua familiam ducit. Q. Curtius, cujus cur nullam Quintilianus mentionem fecerit, nec suspicari possum. Ejusdem ætatis sunt Ovidius, Manilius, Cornelius Celsus, & Augustales liberti, fabularum alter versu, alter soluta oratione scriptores, Phædrus & Hyginus: etsi in hunc posteriorem, quemadmodum & in Asconium Pedianum posterioribus seculis nonnulla

nulla minus Latina irrepsisse palam est. Ad eandem pertinent Vellejus Paterculus, Val. Maximus, uterque Seneca, Petronius Arbiter, Mela, Columella, Lucanus & Persius. In his scriptoribus haud pauca verba, tam singula, quam conjuncta invenias, quæ a priorum consuetudine multum abhorrent, quod genus est *Conversatio* pro familiari usus communitate, ac societate vitæ, consuetudine & familiaritate. *Etiam num*, pro hoc amplius, seu præterea. *Interim* pro interdum, quod a Seneca Phil: alicubi usurpatũ Quintilianus postea sic adamavit, ut eo pœne ad fastidium lectoris uteretur. Sic *experientia rerum*, pro usu. *Officium* pro dignitate, aut procuratione, ut si cui Prætoris aut Consulis officium obtigisse dicam, cum apud priores offi-

cium nihil aliud, quam id, quod decet, ſignificarit. Etſi Cæſar quoque officio, pro præfectura aut munere dixit, bell. Civ. l. 3. toti officio maritimo Bibulus præpoſitus. Item: naves Brundusium a Cæſare remittuntur, ut reliquæ legiones transportari poſſent, huic officio præpoſitus erat Calenus. Cæſar tres cohortes Oxici opidi tuendi cauſa reliquit, iisque cuſtodiam navium tradidit. Huic officio opidoque præerat Acilius legatus. Et Hirtius de Bell. Alex. Exercitus Ganymedi traditur. In ſuſcepto officio largitionem in milites auget. Videtur magis pro Caſtrorum, quam Roſtrorum conſvetudine uſurpatum. Dixerunt *Privilegium* pro beneficio, ſive exemtione. *Inſulcire*, pro infercire, ingerere. *Hodieque* pro adhuc, etiamnunc. *Favere alicui* in malam

lam

lam partem, pro voluptatem capere ex alterius malis. *Excessus* pro delicto. Sic etiam *taxare* pro reprehendere, item pro æstimare, pendere; qua utraque significatione non semel apud Senecam invenitur. Sic *traducere* aliquem sine alterius rei adjunctione, pro infamare. Sic *consummare* pro absolvere, perficere, & *consummatus* pro perfectus, excellens. Sic *imputare* alicui pro assignare, tribuere, adscribere alicui, in aliquem conjicere, aut etiam acceptum alicui referre, fateri se debere, quæ pervulgata est notio. Item pro *expensum ferre*, ut apud Senecam Epist. 73. *Qui multa Principibus debent, sed & imputant.* Est etiam argenteæ ætatis, *profectum* facere, pro quo Cicero dixerat, progressum, vel progressionem. Corn. Nep. in Vit. Caton; *Tantum in Græcis li-*

teris progressum fecit, ut non facile reperiri possit, quod ei fuerit incognitum. Tale est sub *nomine meo*, quod priores sine præpositione extulissent. Huc etiam refero vocabulum *obiter*, quod Fl. Sosipater recte in duas voces dispescit, tanquam *ad iter* sive *ad viam*, id est, inter eundum, in itinere, sive in transcursu, ut ait Plinius, ἐν παρόδῳ, quod Cicero diceret, prętereundo. Scio quidem ab Augusto reprehensum fuisse Tiberium, quod is plebitatem, sive sordes plebeji vocabuli aspernatus, scilicet per viam ἀντὶ τοῦ *obiter* dixisset: neque etiam me fugit, non defuisse, qui apud Laberium Mimographum vocem *obiter* inveniri dicerent. Sed eam tamen Scaurus vetustissimus grammaticus Latinam esse pernegabat, cui literatissimus Principum Hadrianus Imperator assentitur, Augu-

Augustumque velut hominem non æque eruditum, id adverbium ex usu potius populari, quam idonea ratione protulisse judicat, ut autor est Charisius lib. 2. Cæteros quidem hujus ætatis argenteæ auctores, præter Petronium vix ea voce uti ausos apparet, cum tamen sæpissime eis obveniret occasio. Seneca *in transitu* plerumque dicere maluit, tanquam lib. 2. de benef: cap. 8. *ut in transitu quoque dicam, quid sentiam*, idque Fabius imitandum putavit, non etiam *Plinii*, quibus *obiter* nescio qui magis arrisit. Tamen & Senecam eo usum comperio, ut principio lib. 3. de ira: *Nec in ea tantum quæ destinavit, sed in occurrentia obiter furit.* Plura latinitatis ab illo ævi Augustæi auro degenerantis exempla in medium afferre, nihil attinet, cũ Seneca Philosophus Ep. 39.

jam

jam tum ætate ſua homines latine loqui deſiiſſe, minime obſcure ferat.

Ætas ænea. Sequuta poſtea fuit ætas ænea ſub Imperatoribus, Veſpaſiano, Tito, Domitiano, Nerva, Trajano, & Hadriano: Ad quam pertinent duo Plinii; quorum major acumine & verborum copia, minor perſpicuitate, cultuque præſtat, tum Svetonius, Florus, Statius, Valerius Flaccus, Martialis, Sulpitia, Silius Italicus, Solinus, Frontinus, Agellius, & demta laude, quam in partibus meretur, obſcuritatis omnium deterrimus C. Tacitus. Propter multas autem virtutes primo loco memorandus Fabius Quintilianus. Juriſconſultos quoque eximios hæc ætas habuit, quorum in Juſtiniani pandectis fragmenta extant. *Juvenalis.* Etiam Juvenalis ea ætate vixit, ſed Argentea

gentea prope fuit dignior, tantus ſine controverſia in Satyrica Poeſi, quantus aut Virgilius in Epica, aut Horatius in Lyrica, aut Propertius in Elegiaca. Quantum vero ab aureæ ætatis conſvetudine iſtorum ſermo degeneravit, cum alias, tum lib. 9. c. 3. in principio ſic teſtatum facit Fabius: Si antiquum ſermonem noſtro comparemus, pæne jam quicquid loquimur, figura eſt; ut huic rei invidere, non, ut omnes veteres, & Cicero præcipue, hanc rem: & incumbere illi, non in illum, & plenum vino, non vini, & huic, non hunc adulari dicitur, & mille alia: utinamque non pejora, vincant. Iſtam Fabii, quamvis in allatis exemplis non mediocriter halucinantis confeſſionem ſatis idoneam viſum iri exiſtimo, quæ M. Antonii Mureti, diſertiſſimi homi-

Quint. ſua ætate latinitat. deficere fatetur.

Mureti judiciũ de Argẽt. & æneæ ætatis ſcriptoribus.

hominis judicio opponatur, qui ſtultitiæ, temeritatis, & arrogantiæ mimine ferendæ eos condemnat, quibus verba, loquendique genera ab iſtius ætatis auctoribus uſurpata, quoniam apud Ciceronem & æquales ejus non exſtent, ei, qui diligenter Latine loqui velit aut ſcribere, imitanda non videntur. Sed aut ego prorſus halucinor, aut Muretus nihil minus de imitatione ſtatuit, quam quod verbis præ ſe ferre fuit ſolitus. Manifeſtum enim eſt omnibus, qui libros ejus legunt, nihil eum magis caviſſe, quam ne a Ciceronis, & æqualium ejus imitatione, non modo quod ad contextum verborum, ſive compoſitionem, ſed etiam, quod ad ipſa verba, loquendique genera attinet, vel tantillum diſcederet. Fatentur etiam omnes, tam feliciter & ex ſenten-

Aliter facti, quam verbis judicat Muretus.

tentia, ſuum ei ſtudium illud proceſſiſſe, ut non modo poſteriorum, ſed ne illorum quidem ullus, qui Ciceronis ætati ſuppares ac finitimi fuerunt, puritate & elegantia eum vicerit. Sed verebatur ſcilicet, ne quid aliquando ſibi excideret, quod Tulliana puritate minus dignum foret, ipſeque nonnullam ex eo exiſtimationis apud Italos jacturam faceret: Neque vero nullam ſic metuendi cauſam habuit. Nam Tranſalpinis hominibus ex quotidiano Latini ſermonis inter ipſos uſu, multa ſive barbara, ſive plebeja ac deterioris notæ, ſic adhæreſcere ſolent, ut poſtea cum ſtylum arripuere, de latinitate eorum dubitare nequaquam eis in mentem veniat. Inde fit ut ſcripta eorum plerumque minus puritatis habeant, quamvis gratia & venuſtas in iis minime

Auream ætat. imitatur.

Metuebat Italorum judicia.

Cur Tranſalpini in ſtilo minus puri?

nime desideretur. Nam hæc natura duce melius fiunt, quam arte aut studio. Naturam igitur & cogitationis impetum & calorem secuti, ex tempore scribunt, respondente affectibus oratione, in quibus exprimendis plus fere calorem, quam diligentiam valere Fabius fatetur.

2. *Ratio.* Accedit alia causa, cur non æq; pura sit multorum Transalpinorum oratio, quod nullo ætatis discrimine, ac delectu in auctorum lectione versantur, & ex omnium commixtione varium quoddam, ac multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingunt, contempto hoc Fabii monito: diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter ac pœne ad scribendi solicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber

ber utique ex integro resumendus. Itaque genus illud corruptæ orationis, seu κακοζηλίας, effugere nequeunt, quod κοινισμὸν vocant, quæ est quædam mista ex variarum lingvarum ratione oratio, ut si Atticis Dorica, Jonica, Æolica etiam dicta confundas: cui simile est si quis sublimia humilibus, vetera novis, Poetica vulgaribus, Sallustiana Tullianis, æneæ & ferreæ ætatis vocabula aureis & argenteis misceat, qui Lipsio deductisque ab eo viris, solennis & jam olim familiaris est morbus: In quibus hoc amplius, verba maxime impropria, comprehensionem obscuram, compositionem fractam, aut in frustula concisam, vocum similium, aut ambiguarum puerilem captationem passim animadvertas. Magnis tamen (non nego) virtutibus vitia sua Lipsius

Vitiũ Lipsii & Lipsianorum.

Lipsiani stili virtutes. Lipsius redimit, inprimis acumine, venere, salibus, (ut excellens viri ingenium ferebat) tum plurimis lectissimis verbis, loquendique modis: ex quibus non tam facultatem bene scribendi, ejusque, quod melius est, intellectum ei deesse, quam voluntatem, quo minus rectiora malit, ambitiuncula, plaususque popularis studio præpediri intelligas. Italorum longe dispar est ratio. *Itali quare in stilo puriores.* Primum enim non nisi optimum legere & ad imitandum sibi proponere solent: quod judicio, quo cæteras nationes omnium consensu superant, inprimis est consentaneū. Deinde nihil non faciunt, ut evitent omnia, unde aliquid infuscandæ & contaminandæ orationis periculi ostenditur. Latine igitur nunquam loqvuntur, quod fieri vix posse persuasum habeant, quin quotidia-

tidianus ejus lingvæ uſus, ad inſtar torrentis lutulentus fluat, & cujusquemodi verborum ſordes ſecum rapiat, quæ poſtea quodam familiaritatis jure, ſic ſe ſcribentibus ingerant, ut etiam diligentiſſimos fallant, & haud dubie pro Latinis habeantur. Hoc eorum conſilium cum haud intelligant Tranſalpini, id eorum inſcitiæ perperam adſignant. Sic recte Paulo Manutio uſu venit, ut quoniam vix tria verba latina in familiari ſermone proferre poterat, eum Germani complures, qui loquentem audituri ad eũ venerant, vehementer præ ſe contemnerent. Huic tamen nemo, qui ſanus ſit, ad puritatis & elegantiæ latinæ ſummam quicquid defuiſſe dixerit. Nam quod alicubi in Ciceronis ejus exclamationibus, *diſuadere aliquem ab aliqua re*, pro dehortari,

Quotidian9 Lat. l. uſus.

Paul9 Manutius.

dam-

damnum pati, speculationes, contrarietates, & ingratitudines leguntur; id verisimile est, non tam ignoratione Latinitatis, quam oscitantia ejus & dormitatione contigisse. Mihi quoque Petrus Maffeus Jesuita nomini atque famæ parum respondere visus est, cum ad eum Romæ undeviginti abhinc annis salutatum venissem. Neque enim inducere animum poterat, ut Latine mihi respondendi aleam subiret. Postea vero lecta, relectaq; ejus historia, quam de rebus per Lusitanos in India gestis condidit, consilium hominis sibi parum fidentis, labemq; nomini suo metuentis intelligere mihi visus sum, quod etiam facere non potui, quin prudentissimum judicarem. Sed neque hoc nomine minoris nunc pendo ejus historiam, quod ei conscribendæ ac polien-

liendæ ipſos 12. annos impendiſſe, ac non tam compoſitor rerum, quam interpres fuiſſe dicitur. Primũ enim Commentarios Luſitano ſermone ſcriptos, ut ajunt, in vernaculam, id eſt, Etruſcam lingvam convertit, & plerosque, qui ex Indiis venerant, rebusque illic geſtis non minimam partem interfuerant, de locorum illorum ſitu, cæterisque rerum omnium attributionibus, ſive circumſtantiis, quas vocant, ſigillatim percunctatus, non aliter earum imaginem animo concepit, quam ſi & ipſe, cum gererentur, præſens fuiſſet. In quo quantum ad hiſtoriam minori negotio ſcribendam inſit momenti, neminem non intelligere exiſtimo. Deinde inter tot annorum, quot dixi, moram incredibili accuratione de Etruſcis Latina eum feciſſe,

ac

ac lectiones, hymnos, precesq; quotidianas Romani breviarii non nisi Græce conversas recitare consvevisse affirmant, quoniam, ne quid sibi sordium ex Latini recitatione affricaretur, male metuebat. Sed hæc si vera sunt, commendationem operis augere potius, quam imminuere debent, apud eos quidē certe, quibus, ut opus exeat, quod omnium doctorum puncta auferre, ætatemque ferre qveat, Horatiano illi monito obtemperandum videtur:

Sæpe stilum vertas, iterum quæ
digna legi sint
Scripturies. —— ——

Cui præcepto Fabius lib. X. c. III. Salustii & Virgilii exemplo pondus addit, cum ita scribit: *Sit vel tardus, dum diligens stilus: quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeat judicium inventis, dispositio pro-*

probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est, & pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri, non ut quodque se proferet verbum, occupet locum. Omnia enim nostra dum nascuntur, placent, alioqui, non scriberentur. Sed redeamus ad judicium, ac retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Salustium accepimus, & sane manifestatus est, etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, autor est Varus. Hæc Quintilianus, qui nullum fortasse eodem Maffejo & Manutio discipulum habuit dicto audientiorem. Ii enim, ut accepi, cum quid scriberent, versus consequentes a præcedentibus quatuor digitorum intervallo separabant, ut reponendis, quæ in Calepiniano, vel Nizoliano verborum indice subinde meliora reperissent,

rissent, satis spatii haberent. Sæpe etiam epistolæ primo vere ad amicum scribi cœptæ, adulto demum, ac præcipite jam auctumno extremam manum imponebant. Qua ex re factum esse minime miror, ut in Manutii epistolis, quamvis elegantissimis, ac velut sesamo & papavere sparsis, nequaquam ea sit gratia, quæ hominem, nisi valde otiosum, ad iteratam lectionem invitet. Putares eum alias res egisse, cum Fabium, istam moram, & quærendi, judicandi, corrigendique anxietatem & solicitudinem initiis tantum imperasse non advertit; cæterum eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se pœnam nequaquam alligare se voluisse. Plerosque (inquit) videas hærentes circa singula, & dum inveniunt, & dum inventa

Man. labor.

pon-

ponderāt,& demetiuntur,quod etiamſi idcirco fieret, ut ſemper optimis uterentur, abominanda tn. hæc infelicitas erat, quæ & curſum dicendi refrænat, & calorem cogitationis extingvit, mora & diffidentia. quid multus ſtilus & aſſidua lectio, & longa ſtudiorum ætas facit, ſi manet eadem, quæ fuit incipientibus difficultas? Periiſſe profecto confitendum eſt præteritum laborem, cui ſemper idem laborandum eſt.

Cum igitur haud fugeret Muretū, ſi quid excidiſſet ſibi, quod in Tullio,cæteriſque primæ claſſis auctoribus non exſtaret, aut ſaltem limatiſſimo hominum Italorum judicio, ab auctorum illorum puritate deſciſcere videretur: magno ſe fore periculo partam eloquentiæ laudem amittendi, hoc modo prudenter ſibi cavere viſus *Mur. caut.*

est, si quorum sententiam opera ipsa probabat, ab iis saltem verbis dissentiret. Sic enim paratam sibi semper excusationem fore, se verbis, quæ minus locupletes Auctores habere videantur, non errore, sed judicio, ac scientem uti. Grammaticus enim, ut ait Seneca, non erubescit solæcismum, si sciens faciat; erubescit, si nesciens.

Ferr. ætas latin. Perventum nunc est ad ætatem ferream, quam ad Imperium usque Theodosii M. & filiorum extendo. In ea præter S. patres & Ecclesiæ Doctores, tum insigniores quosdam juris consultos, hos etiam scriptores reliqvos habemus: Lactantium, minime infelicem Ciceronis imitatorem, Apulejum, Symmachum, Macrobium, Donatum, Victorinum, Servium, Nemesianum, Olympiũ, Claudianum, Prudentium, Ausonium

nium, Panegyriſtas aliquot, Aurelium Victorem, Fl. Vopiſcum, Spartianum, Ael. Lampridium, Trebellium Pollionem, Jul. Capitolinum, Volcatium Gallicanum, Cenſorinū, Vegetium, Ammianum Marcellinum, ex quibus, quo quisque ſuperiorum ætatum Scriptores familiarius habuit, magisque imitari ſtuduit, eo pluris a nobis fieri debet, dum tamen meminerimus, plus eos ad eruditionem, quam ad faciendam Phraſim, id eſt, Eloquentiæ corpus (ait Fabius) opis afferre poſſe. Verum excipio Juſtinum, cujus ex Trogo Pompejo epitomen, ſi paucula vitentur, quæ Theodoſiani ſeculi labem non obſcure præferunt, non minus, quam cœteros ætatis Auguſteæ ſcriptores, cum tuto, tum etiam cū laude, ni fallor, in ſcribendo imitabimur.

Ætas lignea Ligneam ætatem ab imperio Theodosii secundi usque ad Justiniani tempora produco: in qua cæteris minus barbari, minusque inepti sunt, Cassiodorus, Sidonius & Ennodius.

Lutea Lutea ei successit, qua & Longobardorum in Italiam irruptio, finem Latino sermoni attulit, ejusque loco novum hoc loquendi genus, ex plebeja, Romana & Germana lingva conflatum invexit. Quod posteriores ætates eo ingeniorum certamine excoluerunt, & perpoliverunt, ut plane nihil sit ejus Italis pœnitendum. Tametsi, qui divinas humanasque literas scire avent, quas scriptores antiqui, qua Sacri, qua profani, libris suis complexi sunt, nisi Hebræa, Græca & Latina satis intelligant, minime magnum studii, & laboris præmium sibi polliceri possunt.

Sed

Sed nec hujus Luteæ, nec prioris Ligneæ ſcriptores enunciare attinet ; cum vix quisquam hodie tam inſanus ſit, eorum duntaxat, qui vel primoribus labris literas deguſtarunt, qui eos propter verba ac Phraſin legendos, ne dum imitandos putet.

Puritas linguæ lat.

His ita præmonitis, minori negocio de puritate ſtyli cujuscunque Scriptoris judicari poterit. Quanto enim quidque regulis & conſuetudini eorum, qui aurea illa ætate vixerunt, magis adverſatur, vel quanto ab iis recedit longius, tanto minus purum, ſed barbarum exiſtimari debet. Quæ porro regulis ac præceptis, ſive rationi, repugnant, partim Barbariſmo proprie dicto, partim Solæciſmo ſeu ſtribligini ſubjiciuntur. Barbariſmus vitium vocatur, quo vel Ortographiæ

Barbariſmus quotuplex.

vel Prosodiæ, vel Etymologiæ canones migrantur. *Ortographiæ* quidem, cum quid additur aut demitur, aut mutatur in verbo, ab iis, qui pure loqvuntur, recepto. Sic Arrius ille Catullianus *chommoda* dicebat pro commoda; qui Barbarismus hodie Hetruscis, præcipueque Florentinis familiaris est. Idem Arrius *hinsidias*, pro insidias, dicebat; cui Italorum hodie consuetudo æque Barbara adversatur, cum *hortus*, non aliter quam ortus pronunciant, Væ illis, si S. Augustini magister in terris hodie existeret. Ejusdem generis Barbarismi sunt, *Autor*, vel Author, pro Auctor: *soboles* pro suboles, quod a subolescendo, id est, succrescendo deducitur. *Temptare*, *Solempnis*, *Totiens*, *Quotiens*, aliaque id genus plurima, a clariss. memoriæ viro Barnaba Brissonio ex Pan-

Pandectis Florentinis in lib : Perergon Juris annotata. Barbarismus *Prosodiæ* ratione est, cum syllabæ breves producuntur, longæ corripiuntur ; ut *Idola*, media brevi. *alioqui* correpta tertia syllaba. *choragus* media correpta. *Appendicis* producta syllaba ultimæ proxima, cum *coxendicem* apud Plautum in desinente versu Jambico legamus, tertiamque in *perpendiculo* corripi constet. Hoc Barbarismi genus familiare est Gallis, Polonis familiarissimum, qui quasi de industria omnia brevia producunt, longa corripiunt. *Etymologiæ* ratione Barbara inprimis sunt, quæ in nominum verborumque inflexione aliquid habēt vitii : ut si quis *collexi* dicet, pro collegi, *filie* pro fili, *agnus* pro agne. *juvenior* pro junior, *facilissimus*, pro facilimus. *Lavavi*, pro lavi, *pro-*

 stran-

strantes se, pro prosternentes se: & *putant se occisos iri*, pro occisum: quæ duo postrema eloquentissimo Paulo Jovio excidisse vehementer miror. *Solæcismus* est vitium regulas Syntaxeos violans; ut, *summa vertex*, *breviorem amiculum* (quod Maffeius habet, hist: XII.) *hoc est panis*, *hoc est inscitia*; *Non fac, dubito hoc ne facere debeam*; *Nos monitore non necesse habemus*: quomodo P. Famianus Strada Jesuita loquitur; nec animadvertere videtur, *Necesse*, nomen adjectivum esse neutrius generis: sicut *necessis* masc: & fæminini: pro quo & *necessus*, *necessa*, *necessum*, usurpabant: ut dicendum sit, monitor nobis non est necessus; vel prisco illo melius, non est necessarius; moneri nos non est necesse: aut monitum illius nobis non est necesse, necessum vel necessarium, aut nos moni-

Solæcismus

tum

tum ejus non necessum habemus: quomodo apud Senecam 6. Contro. 3. legimus: *Sic a te alligatus est, ut necesse haberet, quod non expediebat*, ubi subauditur id. Veritus fortasse fuit dicere, opus non habemus, quoniam id Francisco Sanctio Brocensi, eminentissimo in Phil: & humanioribus studiis viro barbarum videtur. Veruntamen & Collumellam sic locutum videmus: neque quod Sanctius pugnat, *opus* id ipsum Latinis esse, quod Græcis ἔργον, propterea minus verum fuerit. Sicut enim dicentes, *opus mihi sunt libri, opus est mihi libris*, similiter cum dicimus, opus habeo libris, id significare volumus, libros mihi esse ἔργον, sive opus, aut negotium, aut omnia: Græci quidem utrovis modo dicunt ἔργον ἐστὶ & ἔργον ἔχω.

Reliqvum eſt, ut videamus, cujusmodi ſint, quæ *receptis*, ſive conſuetudini pure loquentium adverſantur. Ea partim non agnoſcunt aures hominum, qui melioribus ſeculis vixerunt, partim repudiant & aſpernantur. Quæ non agnoſcunt, ſunt partim *peregrina*, partim *nova*, eaque vel ratione verborum ipſorum, vel ratione ſignificationis. Fieri enim poteſt, ut vocabulum aliquod, vel loquendi genus ſono quidem Latinum ſit, ſed ſignificatione uſurpetur Romanis auribus inſolenter, quam quis vel ipſe ſibi commentus eſt, quod eſt *Novitatis*, vel ex cujuſpiam alterius lingvæ idiotiſmo mutuatus, quod exoticum & peregrinum vocamus, v. g. *adhibere fidem* pure latinis dicitur, pro uti fide, cum fide, ſive fideliter aliquid facere. quomodo Plautus Rudent:

Peregrinitas verborum.

Novitas.

loqui-

loquitur, prorſus ut adhibere diligentiam; ſed *adhibere fidem*, pro credere, vel adjungere fidem, barbarum eſt, quin novum ſignificatione, quam deterioris ætatis homines invenerunt. Sic *imputare alicui*, pro expenſum ferre, non dixit Tacitus; Gaudent muneribus Germani ſed *nec data imputant, nec acceptis obligantur*, id eſt, non poſtulant ſibi pro iis gratias deberi. Argenteæ ætatis auctores, imputare, pro acceptum referre uſurpant frequentius. Sic *pati damnum* vel *detrimentum*, barbare a Manutio & Maffejo dicitur; quoniam genus hoc idiomati Latino adverſatur, & ex idiomate Hetruſcæ, ſive Italicæ lingvæ, quæ hodie in uſu eſt, petitum videtur. Cæterum Latinorum *idioma* ut veteres Grammatici vocant, ſive propria conſuetudo, *facere*, *capere*, vel *accipere* *dam-*

damnum, aut *affici* sive *augeri damno* postulat. Sic *ore-tenus* multi vulgo dicunt pro *coram*; quæ Latinorum verborum significatio barbara est & nova. Romanis enim *ore-tenus* notat, usque ad os, ut si quem in aquam ore-tenus versum dicat Tacitus: *Modo pectore, modo ore-tenus exstantes.* Et *superfluus* apud Sen: *extrema* prope Epist. 95. pro supervacuus, inanis, otiosus, minimeque necessarius, novitiæ significationis est: cum apud Jurisconsultos ferreæ ætatis sæpius quidem legatur, sed ut significet, vel superfluentem, redundantem, vel etiam reliquum aut residuum. *Concernere Salutem Reip*: vulgo dictitant; sed barbare pro attinere, pertinere. Et *Medium* cum Apulejo, pro adjumento, instrumento, ratione, via. & *Neutralis* pro medius, quietus, qui neutri par-

partium dissidentium adjungitur. Et *Nullatenus* pro nulla ratione, nullo modo, nequaquam. Et *complexio* pro corporis crasi seu temperatura: quæ omnia Lignea demum, aut Lutea ætas invenit, ab eo, qui puræ dictionis laudem quærit, scopulo diligentius vitanda. Quæ vero Romani aspernantur & repudiant, sunt *obsoleta* sive antiqua, quibus nemo utitur, nisi qui contra torrentem niti, suum unius judiciũ pluris videri postulet, quam populi Romani & doctissimorum, qui optima ætate optime loqui & scribere existimabantur, consensum. *Obsoleta.*

Atque hinc apparet omnino, quinque esse impuritatis sive barbari genera, Barbarismum solæcismum, idiotismum, seu peregrinitatem, Neoterismum, seu Novationem, & Archaismum, sive priscorum verbo-

rum

rum usum. Quorum ego exempla sigillatim, ex non nullis Clari nominis scriptoribus in medium afferre constitui, cum ut quæ dixi, facilius intelligantur, tum ut adolescentes, quantæ cautionis & difficultatis res sit pure scribere, sic moniti intelligant, tum denique, ut viri docti minus mihi veniam graventur, si quid in meis libris non æque purum, neque illi, quam aliis permonstro, rationi satis conveniens offenderint.

Sciop. judiciũ de se. Nec enim tam valde mihi placeo, ut quæ a me scribuntur, aliorum operibus præferri, nedum omnibus numeris absoluta & emendata censeri postulem: cum præsertim ipsum jam decennium a bibliotheca mea abfuerim, opera fere in negotiis gravissimis occupata. Tum illius etiam in mentem mihi venit identidem, quod non te-

mere

mere monet Fabius: Hoc primum constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus. Celeritatem dabit consuetudo, cito scribendo non fit, ut bene scribatur, bene scribendo fit, ut cito. Huic ego si subscribo sententiæ, quomodo meam scribendi celeritatem, cum tanto præsertim emendationis fastidio conjunctam non merito suspectam habeam? ut autem bene scribatur, assidua sæpiusque repetita optimi cujusque lectione opus est, donec ducatur color, quem postea illa quoque reddant, quæ subito scribuntur. Hoc autem mihi non contigit. Etsi enim per partes omnia Ciceronis scrutatus sum, & incredibili pene anxietate libros ejus excussi, nihilque ad diligentiam, mysteria ejus penitus inspiciendi, reliquum mihi feci: illud tamen,

quid

quod nihilo ad formandum ſtilum minoris eſt momenti, propter tam diuturnas & negotioſas peregrinationes præſtare non potui, ut perlectos & excuſſos Ciceronis libros ex integro reſumerem, & *multo ac fideli ſtilo*, (ut ait Fabius) formam quandam ad imitationem eorum, quæ legiſſem, facere conarer. Itaque velocitatem & impetum ſcripta mea præ ſe ferunt, meque non diu optima quæſiviſſe, neque verborum pondera examinaſſe, ſed protinus ſe offerentibus uſum eſſe, præcipueque *Juncturæ* illius, quæ membrorum, inciſorum & periodorum varietate orationem diſtinguit, minimum curę impendiſſe clamant. Neque vero aliter fieri potuit, cum tam multa ſcripſerim, ut multis, legi aliquid a me potuiſſe, mirum videatur. Quanto autem magis

mirum

mirum videri debet, ſi mihi non uſu venit, quod Fabium modo dicere audivimus: *Cito ſcribendo non fit, ut bene ſcribatur.* Itaque quod alias non ſemel profeſſus ſum, hoc loco nunc repeto, minime vulgarem gratiam a me initurum, qui, quam ego nunc aliis, eandem mihi operam navare, hoc eſt, libros meos quos inter hos XIII. annos edidi, diligenter ex cutere, quæque in iis vel minus Latina, vel alioqui culpis accenſenda compererit, vel palam, ſi ſic videatur, dedocere me voluerit. Huic Minerval ſ. δίδακτρον, quale ab homine gratiſſimo exſpectari poteſt, ingenua ſcilicet ingenii prædicatio, nequaquam a me deerit. Sed ut minori id labore præſtet, neque multum in ſupervacuis deſudet, pręmonitum eum velim, me Tertulliani illius memorem ſemper

fuiſſe

fuisse, quo, *Fidem nostram quorundam nominum familiaritatem habere* affirmat, adeoque *Salvatorem*, quam *Servatorem*, & id genus alia Ecclesiæ solennia, quam quæ Latina magis viderentur, dicere maluisse. Illud etiam consvetudine facere me noverit, ut cum verbum aliquod, aut loquendi genus, quod deterioris sit notæ, sæpius in scripto aliquo usurpare constitui, (quod quidem in iis, quæ ad sacra, religionemque pertinent, facio sæpius, indoctioribus consulens) ei alicubi in eodem libro κατὰ συνωνυμίαν, quod latinius puriusve sit, adjungam: qua solicitudine judicium meum non falli, neque me quid Latine, quid barbare dicatur, præterire, satis significare videor. Sed de me hactenus: nunc Barbari, sive Impuritatis exmpla in nonnullorum scriptis

ptis inter legendum a me notata videamus.

Exempla Barbarismi.

Barbarismum vitium esse docui regulis Ortographię, Prosodiæ & Etymologiæ repugnans. Hujus generis est *juvarunt*, & *adjuvarunt* Josephi Burdo Scaligeri in vita patris sui: quod in Scaligero Hipobolimæo pag. 182. agitavi. Tale etiam est *gratificasti*, quod ibidem pag. 183. in patre ejus Julio notavi. Tale ejusdem Josephi pag. 232. a me explosum: etiam *ipsarum mulieruclarum aures nostris erroribus personantur*. Et hoc pag. 233. ostendant mihi cui *obtrectatus sim*: Et valeant qui bonis *obtrectantur*. Nam & regula, & bonorum auctorum consvetudo postulabat, personant, obtrectarim, & obtrectant. Nihilo purius hoc ejusdem

Burdo-Scaligeri barbarismi.

dem pag. 205. *Mea culpa non est, si me injusso quidam versus claustra refregerunt.* Planum enim est, aut meo injussu, aut me non jubente dicendum fuisse. Sed etiam hoc pagina 238. turpissimum est, *eam materiam ictibus resistendis aptam esse.* Non enim si ictibus resistitur, propterea ictus resistuntur. Paris elegantiæ est hoc in Varron. de Re rust. p. 36. *A Catone locum hunc Varro mutuo sumpsit.* pro mutuatus est. Nescit scilicet, quid sit *mutuo dare & accipere*, idem nempe, quod invicem, per vices alternis, quod contingit in pilæ lusu. ejusdē est hoc in animadvers. Euseb. pag. 273. a. *Quod licet ea animi alacritate a nobis exceptum est, quam autoris virtus exigebat.* pro exceptum sit, quia *licet* verbum esse non intellexit, sed pro Conjunctione perperam habuit. In *licet* autē,

Licet non conjūctione.

aut

aut *licebit*, ſubauditur particula *ut*. Nihilo vero deformius re, quá verbis, quod ei p.239. impegi. *Canes loca mundiora veſtigāt, ubi immingant*. Nam immejant, regula, & auctoritas poſtulat. *Mingere* enim barbarum eſt, neque ejus ullus a priſcis Grammaticis auctor citatur. Nollem igitur cultiſſima, & quovis antiquorum digna Sanazarii poemata verbo *permingere*, inquinata eſſe: quo neque Lipſius Epiſt. 44. Centuria 5. uti dubitavit: *Canis*, inquit, crus tollit, *& famellam illam permingit, atque abit*. Aliquanto tamen ſordidius videtur, quod ejuſdem Lipſ. Cent. 1. epiſt. 81. lego: *Frigidis juvari imprime videor*. Vulgari ſcilicet errore lapſus, *imprimis* adverbiū eſſe credidit, quodque apprime Latinum eſſe ſciret, formatum a nomine *Apprimus*, (quo Livi. Poeta in

Imprimis nō adv.

Odyſſea

Odyssea usus fuerat. Ibi denique vir summus apprimus Patroclus) solita usque licentia ad ejus exemplũ *Imprime* effinxit. At enim sine flagitio neque pueri ignorare possunt, *inprimis*, dicendum esse, sicut cumprimis, quod valet, Inter primos, primas, prima. Quod si quis idem Lipsio contendat licuisse, quod Claudio Quadrigario, cum *operam cumprime fortem a M. Manlio navatam dixit*, nullo genere id venia dignius esse meminerit, quam *prior fœdus, prior bellum*, eidem Claudio in accusandi casu usurpata. qui, sive fœdus & bellum masc. gen. esse credidit, priorem, non priora, sive neutrius, non prior, sed prius dicere debuit. Inprimis autem nequaquam adverb. esse, vel ex isto Cic. intelligi potest pro Fontejo. Usu bellorum in primis eorum, qui

qui nunc ſunt, exercitatus. Et lib. II. in Ver. Sthenius in primis Siculorum copioſus. Barbariſmi quoque notam ducit, quod notis in Polit. lib. 3. c. 8. habet Lipſius. *Ab hoc aut illo ſeorſim exquirere ſententiam.* Latinum enim eſt ſeorſus, aut ſeorſum, ſicut adverſus, adverſum, prorſus & prorſum, rurſus & rurſum. Nihilo melius eſt quod Epiſt. 88. ſcribit Lipſius: *Mihi abunde ſatis facitur, ſi eques plaudat.* Ego quidem ſi ætatis X. anno ſic ſcripſiſſem, non defunctorie vapulaſſem, fruſtra commodante advocationem Titinio, cujus locum laudat Nonius, in quo eſt *parvi-faciatur.* Nam ſi rancidis iſtis ab ultima antiquitate petitis uti jus ſit, *dicebo* pro dicam, *reddebo* pro reddam, *nivit* pro ninxit, *ſolvi* pro ſolitus ſum, ejusque farinæ multo plura uſurpabimus.

Iſaacus quidem Caſaubonus hoc ſibi jus haud quaquam diſplicere non ſemel declaravit, verbi grat. præfatione Commentarii in Athenæum ſcribit: *quod opus ſcibis, non ea ſine inſtitutum a nobis.* Et mox: *multa quorum interpretibus ne ſuboleviſſe quidem videbamus.* Sed nos minorum nempe gentium literatores, cum doctrinæ, tum primæ notæ auctorum conſvetudini congruenter *ſcies*, & *quæ interpretibus ne ſuboluiſſe* dicendum fuiſſe, ſtatuimus. Etiam hoc in ejuſdem Epiſt. ad Galliæ Regem, præceptis adverſatur: *tot palmis, tot lauribus, tot coronis*: Laureis enim dixiſſet Cicero, &, ut quisque fuit, Ciceroni ſimillimus. Etſi Lauru ſemel apud Horatium legi nequaquam ignoramus. Atque hoc ex Servio Gram. diſcere potuerat, cujus in Æn. X. verba ſunt.

Caſauboni barbariſmi.

Quæ-

Quædam nomina licet duplicem habeant declinationem, tamen aliquibus eorum casibus propter auctoritatem non utimur, ut Laurui, Lauribus; cum & hujus laurus, & ab hac lauru dicamus. In commentario ipso pag. 17. lego: *lana non pectita, non carminata.* Sed si Grammaticorum legibus uti, & locupletioris Latinitatis auctores, potius quam Collumellam sequi voluisset Casaubonus, pexa non *pectita* dixisset. Quod etiam de *Vulsit* censeo, pag. 29. *Vulsit mihi aurem.* Virgilius enim Laberio, homine non minus in verbis, quam in Mimi actione ridiculo, sed & Lucano purior, sine controversia doctiorque ita nos loqui docet: Cinthius aurem vellit & admonuit, non ego classem ad Pergama misi, nec Patris Anchisæ cineres manesve revelli. Ubi Servius,

vius, *Revelli*, non revulſi: nam velli & revelli dicimus. *Strigil* autem neque in Laberio, neque omnino in ullo veterum invenitur. Sed *Strigilis* bonos auctores habet. Vapulet igitur ob Barbariſmum Caſaubonus cum ſcribit, pag. 119. *Strigil & ampulla, ſuppellex eſt balineas petentium*; ubi hoc amplius notas, *balineas* per balneas, quod etſi pro vulgi conſvetudine non nulli uſurparunt, a Poetis tamen quid rectum ſit, explorate diſcimus: illi quippe *Balneator* quatuor ſyllabis dicunt. Hoc quoque Grammaticis lingvæ cuſtodibus parum probaverit, quod pag. 154. ſcribit: *omnes mortales omnium ævorum*, pro ſeculorum. *Æva* enim non dicimus, ſed ætates aut ſecula. Plinium, cujus eſt *parietes ævis durant*, merito nihil moramur; neque verbis ejus, niſi ubi me-
liora

liora nos deficiunt, utendum putamus. Quam enim ejus ætatis homines Latinum sermonem corrumpere studio habuerint, satis supra ex Quintiliani confessione patuit. Sed neque hoc secunda Grammaticorum voluntate dixit Casaubonus p. 176. *Solutio mercedis differebatur, post cædem moriturientis.* neque enim supinum aliquod extare dicent, unde moriturio derivari queat, sicut ab esu, esurio, a dormitu, dormiturio, a partu, parturio. Verum in hoc Casaubono parata est excusatio, quoniam S. Augustinus a Cicerone de Philosophis dictum testetur: *Morituriunt* pro mori desiderant. Hanc tamen excusationem dupliciter improbaverit Grammaticus: Primum quia verbum hoc, perinde ut *Syllaturire*, pro re nata, ac velut joco finxerit Tullius, neque

alterum altero Latinius videri debeat. Deinde quia Casaubonus morituri entem, non ut Cicero pro eo, qui mori desiderat, sed pro moribundo & animam agente, imo vero pro mortuo posuerit. Barbarismus etiam est in verbis ipsis pag. 232. *Sequentia pertinent ad temulentorum hominum domuitionem post convivia intempestiva*, nam domumitio dicendum. Pacuvius ap. Nonium: nam solus Danais hic domum itionem dedit. Incertus Poeta in tertio ad Herennium. *Jam domum itionem reges Astridiæ* parant. Cic. 1. de Divin. *Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domum itionem dari*. Similiter & *domũ reditio* ap. Cæs. 1. Bell. Gall. legitur: *domũ reditionis spe sublata*. Cic. in Pisaniana: *Is m: us fuit domũ e foro reditus*. Nomina scilicet a verbis derivata casum verbi sui adsciscunt. Justitia est obtemperatio scriptis legibus. Cic:

off:1. quia ſcilicet obtemperare legibus dicitur. Et in Topic. *Abalienatio eſt rei traditio alteri.* & in Piſon. Exercitus noſtri interitus ferro. Plaut : Curcull : quid tibi iſtum tactio eſt, pro quid ipſum tangis ? Dicimus enim tradere alteri, interire ferro, tangere aliquem. Habet hoc etiam nomine, quod Grammatici metuat ferulam Caſaub. quod p. 574. ſcripſit : cum rem divinam *Furiabus* facerent. Priſcianus enim lib. 7. poſtquam *eabus* pro iis in fœm. gen. protuliſſe oſtendit, ſicut *Deabus*, *Filiabus*, ſic porro lectores monet. Multa tamen alia quoque contra regulam vitioſe & in his, & in aliis caſibus vetuſtiſſimi protuliſſe inveniuntur, in quibus non ſunt imitandi. Ne hoc quidē impune per Grammaticos tulerit, quod in Theophr. Charact. cap. de Impuritate,
 fun-

fundum Neutro gen. posuit: *Si quid metiatur, eam adhibet mensurã, cujus sit fundum collisum, & introrsus adactum*. Ut enim ex Verrio Flacco docet: Fundus dicitur ager, quod planus sit ad similitudinem fundi veterũ. Fundus igitur, non fundum Latine dicitur.

Thua. Barb. Jacobi Aug. Thuani latinitatem multi laudant, Burdo inprimis, ne fides veteri verbo desit: *mutua muli*. Sed is in prefatione historiæ suæ, *substruxit* & *substructo* habet, ab elegantissima, si superis placet, præpositione *subs*. Ejusdem est *aboletus* pro abolitus, non semel elegantiæ credo causa, usurpatum. & lib. 15. amicitiam Regis *se coliturum* promittit. Puer autem decennis culturum dixisset, aut nates perdidisset. Idem lib. 26. *perculsit*, habet, nescio an Calepino auctore; Priscianus quidem docet *perculit*.

Possev. In Possevino

vino Medico, qui se inter Latinos ætatis nostræ scriptores familiam ducere postulat, *Viciniũ* non semel lego, cui Grammatici barbarismi dicam sine dubio scribent, & viciniàm latinum esse contendent. pag. 782. Ne experimento *diffidisset*, pro diffisa esset. Fido enim non fidi facit, sed fisus sum. pag. 639. *sectasse* pro sectatos esse. p. 648. *Vim intrinsecam*, pro interiorem, seu etiam internam. quod non minus recte, quam externum dici videtur. Nescivit scilicet extrinsecus, intrinsecus, forinsecus, altrinsecus, adverbia esse, non nomina. Ejus tamen erroris socios habet S. Gregorium M. & D. Bernardum. pag. 792. *Prximiora adminicula*, pro viciniora, propiora. Nam gradus superlativi proximus, Comparativum facere, neque ratio, neque Grammaticorum

Barbar.

Canones, neque denique melioris notæ auctorum usus permittit. *Octuaginta, octuagesimus, & noningenti.* pag. 780. 782. 788. & 364. pro octoginta, octogesimus, & nongenti barbare dixit: & pag. 833. Vincentii subditis ad arma usque *transcursis.* Nam cursus pro eo qui cucurrit, nulla ratione dici potest; nisi si quis cum Tatiis & Sabinis illis cascis, aut Evandri matre sermonem habere velit. Hoc pag. 829. operarum Typographicarum mendum esse credidero: prætexerunt causam; cum ille fortasse scripserit, prætexuerunt.

Exempla Solæcismi.

Solæcismi Burdo Scaligeri. SOlæcismus, ut dixi, vitium est Syntaxeos, sive constructionis familiarissimum illi Criticorum patri Josepho Burdo Scaligero, velut in Scaligero Hypo-

Hypobolymæo vici. Tanquam pag. 237. ubi hæc ejus verba recitavi : Ejuſmodi eſt hæc quæſtio, ut quanquam parum conſiſtat, tamen in utramque partem agitari *poteſt*, pro poſſit. Et pag. 238. Si hæc *natio viveret, nihil eſt quod melius optem e re illorum, quam bonam mentem*, pro nihil eſſet, quod magis optarem. Et pag. 240. *ſpero quod non minimus ad earum laudem cumulus acceſſerit*, pro ſpero acceſſurum non minimum cumulum. Et pag. 182. Quicquid ille adducit, *omnia contra illum faciunt*; pro omne facit, & pag. 183. Hæc omnia optamus tibi utilia fore, pro eſſe. rurſum p. 182. Certum eſt, quoties claſſicum canent, me calumnias *non diſſimulaturum*, pro certum eſt non diſſimulare. Sic enim boni Auctores loquuntur. Et p. 181. Cum *hoc non ſit negligentia*, eſt ergo

ſuccus loliginis, pro hæc negligentia. Sic, *hoc ſolius* Nehemiæ labor; pro hic labor. Sic *hoc allucinationem*, non inſcitiam eſſe, pro hanc hallucinationem, non inſcitiam eſſe. Et p. 231. Non alia ratione id omne fecimus, niſi *ut non* eſſet noſtrum, pro ne eſſet; ſic *ut non* longius diſcedam, pro ne. Ibidem: cognoſcere cupimus, *quanti noſtri intereſt*, aliquid ſupra vulgus ſcire, pro interſit. Et non video, quid nobis *literæ proſunt*, pro proſint. Et *qvid vis* ſcio; pro velis. Et vides *quam tuto tibi creditur*, pro credatur & pag. 232. Meruit hæc materia *honeſtis viris communicari*, pro cum honeſtis viris. Latini enim non aliter loquuntur, quam cum aliquo communicare. Locus Cæſaris in tertio belli civilis vulgo mendoſe in Fulluii Urſini codice ſic legitur: Adhibito Libone, Lucejo

&

& Theophane, quibuſcum communicare de maximis rebus Pompejus conſveverat. Cicero quidem dicit: Hoc nobis cum illis communicatum eſt, ſed id non aliter, quam ſi diceret: Hoc nobis cum illis commune factum eſt. pag. 234. Hoc nomine Burdoſcaligerum accuſavi, quod dicere ſoleat: Hoc idem eſt cum illo: qui Solæciſmus ei cum Manutio, Mureto, Lipſio, Caſaubono, multisque aliis communis eſt, pro quo, cum ratio, tum Clariſſimorum ſcriptorum uſus poſtulat; Hoc idem eſt illi, idem quod illud, idem atque illud. & p. 240. genus hoc ut ſolæcum notavi: perſvaderi *me* paſſus ſum: cum *mihi* dicere debuiſſet, pag. 239. exprobravi ei, proletarium & tritum iſtud, quo neque Lipſius, & Caſaubonus uti dubitant; *Abſit ut putemus*:

temus : ſimulque, quid pro eo, majorum gentium auctores dicere ſoleant, oſtendi.

Lucani auctoritate ut Poetæ, & Hiſpani, fruſtra ſe pedeſtris ſcriptor defenderit. In Varroniana ejus præfatione legimus : non dubito *quin hæc* conjectanea maturius edenda *erant*, ubi ſolæciſmus, quo, *quin erant*, pro quin eſſent, vel decenni puero in Grammaticis quidem Scholis nates certo abſtuliſſet.

Solæciſmi Lipſii. Inter Lipſii Solæciſmos familiam ducit meritoque principe a me loco memoratur, quod in prima Epiſtolarum ejus centuria prima legitur : vereor *ut id vitæ genus* ſubito mutetur, & prox. epiſt. vereor ut milites nos pellant. Cui ſimile hoc ejuſdem Centurię epiſt. 35. Auſtri iſti, *vereor ut* dent majores tempeſtates. Vix denique

unquam

unquam aliter loquitur, repugnante quamvis ratione, & omnium Auctorum exemplo. Cum enim fieri quid expetimus: vereor ut dicimus: ut, vereor ut pater convaluerit. Contra, vereor ne, cum quid nolumus & abominamur; ut, vereor ne pater ſuccenſeat. Etiam hoc ſolæcon eſt. Cent. 1. epiſt. 61. quin nos qui ſapimus, pareamus, & quod patiendum eſt libenter patiamur. Latine enim pro Auguſtæi ævi conſvetudine dicimus: *Quin fac*, aut *quin facis*; non quin facias. Etſi enim apud Cicer. in Scip. ſomnio legimus: quin tu adſpicias, ſeu reſpicias venientem ad te Paulum Patrem: quem tamen non fugiat, quam multa in Tullio oſcitantes librarii corruperint. locum illum ex more loquendi, quem Plauto, Terentio & ipſi Tullio placu-

placuiſſe ſatis conſtat, corrigere minime dubitaverit. In Terentii quidem Eunucho legimus: quid nunc agimus; quin redeamus, jam hæc tibi aderit ſupplicans. Et lectionem Donatus agnoſcit, aitque, *quin* pro Immo poſitum. Sed Donato antiquior Bembi codex habet: quid? redeamus. quam veram eſſe lectionem diſcimus ex ejuſdem fabulæ act. 5. ſc. 9. obſecro te, quid agimus. Gn. Quid? Iſti te ignorabant. Rurſum Lipſius Ep. 44. Cent. 4. Tu ſerva & in eo tamen non erra, pro ne erra, ne erraveris, errare noli. Non fac, prorſus Barbarum & Solæcon eſt, vel Quintiliano judice. Nihilo pręſtabilius hoc, Epiſt. 88 Cent. 5. Non ambigo, quin peregrinationem laudabis; pro non dubito, quin laudes, aut laudaturus ſis. Et Cent. 4. Epiſt. 36.

Tri-

Triſtia eventa ex Europa nobiles quosque animos excitarunt. Regula enim & conſvetudo poſcit: nobiliores vel nobiliſſimos quosque. Tacitum nihil me morari aperte fero. Ridiculum hoc ejuſdem Cent. Epiſt. 56. Iter noſtrum Italicum differtur, quid cauſæ eſt; duplicis, privatæ & publicæ. Qvis enim in Scholis impune ferat, ſi dicat duplicis mihi cauſæ eſt? Geminum huic Germanum Cent. 6. Epiſt. ult. illud miri, ſi veteri meo more expers factus eſſem: veritus ſcilicet, fuit, ne prorſus plebs cenſeretur, ſi dixiſſet: Illud mirum, & moris expers. Seculi Tulliani judicia nullo habet numero: ita de induſtria uſurpat, & conſectatur, quæ Cicero, Cæſar, Livius, tota denique Roma in vetuſtioribus damnavit. Quamvis enim in Timæo Ciceronis,

expers

expers motibus legatur: cum tamen & fæde mutilatus, fædiusque passim depravatus sit libellus ille, minime tuto id imitari videmur: Cum præsertim expers cum patrio casu, ibidem non semel legatur. Memorabilis ejusdem Lipsii solæcismus est in his verbis: Sol meridies erat, pro, erat meridies. In quem errorem quomodo tantus vir inciderit, operæ pretium fuerit cognoscere. Agellii, noctium Atticarum scriptoris lib. 3. cap. 2. verba sunt in vetustioribus editionibus: Magistratus, quando una die eis auspicandum est, & id, super quo auspicaverunt, agendum, post mediam noctem auspicantur, & post exortum solem agunt, auspicatique esse & egisse ex eodem die dicuntur. Super hoc loco Elect. lib. 2. c. 3. ita commentatus fuerat Lipsius:

Libri plerique veteres, post mediam noctem auspicantur, & post meridiem sole magno auspicati esse. Ex quibus firmiter lego: Et post meridiem solem agunt. Eoque exemplo tuta & defensa hæc prisca dictio, quo sol occasus. Ad oram Libri annotat Lipsius: Sol meridies prisca phrasi. Ridicule nimirum, & plus quam pueriliter sibi persvaserat, sol occasus esse duo nomina substantiva, eoque exemplo dici posse, sol meridies. At enim turpissimum est nescire: Occasus, non nomen substant: sed adjectivum participium esse ab occido, & significare eum qui occidit; sicut discessus, qui discessit, interitus, qui interiit, titubatus, qui titubavit, Senectꝰ qui senuit, obitus qui obiit; quorum ex vetustissimis exempla Priscianus lib. 9. & 10. recitat. Atq; hoc modo ex-

torta

torta est Lipsio e manibus solæcismi tam deformis defensio. Nunc de Agellii loco videamus. Mihi legendum videbatur: Post mediam noctem auspicantur, & post meridiem solum agunt, id est, non nisi post meridiem, vel post meridiem demum, quæ lectio si cui minus probatur, videat num melius sit: Post meridie, vel post meridiei solem agunt. Meridie enim antiquarie dixerit, more suo pro meridiei, sicut Sallust: Jugurth: Jam die vesper erat, pro diei. Et Virg: Libra die somnique pares ubi fecerit horas. Sic ibi legit Servius. & Livius 32. Et prius sol meridie se inclinavit, quam telum hinc aut illinc emissum est. Porro meridiei est medii diei, (sicut Lucretius: Medi ab regione diei, pro a regione medi diei seu meridiei, sive meridionali,)

li,) Similiter Agellius ſolem medium & ſolem meridianum dicit, lib. 5. cap. 14. Sole medio & flagrante ſpecum quandam nactus, in eam me penetro, (quomodo & Phœdrus prior dixerat Fab. 58. Æſope medio ſole, quid tu cum lumine?) Et ignis copiam non habens ſole meridiano toſta ferarum membra edebam. At enim nihil eſt aliud meridiei ſol, quam ſol meridianus. Ite nunc Lipſiani mei pueri, (quidni enim gratiam iis referam, qui Ciceronis ſtudioſos per diridiculum Tullianos pueros vocare non dubitant,) ite, inquam, & Lipſium extra omnem judiciorum aleam ponite, ut quod ipſe ſibi non eſt auſus arrogare, quicquid ei vel per ſomnium in mentem venit, id continuo Delphis reſponſum credere debeamus. Caſauboni ſolęciſmum

ex

Casau boni Soloecismi.

ex præfatione commentarii in Athenæum ſupra repręſentavi: *multa, quorum interpretibus ne ſuboleviſſe quidem videbamus.* Nec enim dicimus, ſubolet mihi hujus rei, ſed res hæc mihi ſubolet. Ipſius commentarii pag. 119. Solæcon eſt hoc: *jure irriſi doctis*, pro doctos: Et pag. 185. Ampullæ ſcorteæ fuerunt, *aut* fictiles, *vel* ex ære. Aut enim, non vel dicere debuit & pag. 177. fieri poteſt, ut eo libro Athenæus de pugnis illis *tractaſſet*, pro tractarit. In reſcripto ad Cardinalem Perronum: *juſſit me* Rex Angliæ, ut hoc tibi ſignificarem: pro juſſit mihi ut &c: vel juſſit me ſignificare. Ibidem lutulentum uſurpat vocabulum, *impræſentiarum* pro in præſentia; quod Thuanus in præſentiarum duabus vocibus effert. Neque me fugit, id in Catonis fragmentis, Cornelii Nepo-

Nepotis, Taciti, & aliorum libris inveniri, ſed quoniam & ratio illud aſpernatur, neque veteres Grammatici ullam ejus mentionem faciunt, lutea demum Latini ſermonis ætate fabricatum & ab indoctis librariis in codices, quos deſcribebant, receptum fuiſſe, veri videtur ſimillimum.

Fædus Thuani Solæciſmus eſt Hiſt: lib. 10. Menzanum Caſtellum aggrediuntur, ſed irrito ſucceſſu; qui intro erant, ſe gnaviter defendentibus, & lib. 11. domibus, quæ ex adverſo arcis intro ſunt, terra oppletis. Jam enim neque qui Grammaticæ rudimentis operantur, ignorant, quod Caper vetuſtiſſimus Grammaticus monuit: *Intro* ſignificare locum, intus in loco. Lucillii de eadem re verſus ſunt: *Nam velut intro aliud longe eſſe atque intus videmus;* *Solœciſmi Thuani.*

Sic

Sic & apud longe aliud est, nec
idem valet atq; ad.
Intro nos vocat ad sese, tenet intus
apud se.

QVod si Poetæ credendum non putavit, quid fuit, cur Fabii doctrinam contemneret? Is lib. 1. cap. 5. planissime sic scribit: *intro & intus loci adverbia. Eo tamen intus, & intro sum, Solœcismi sunt*, qua tamen culpa Thuanus vacare poterat, si introrsus, vel introrsum dixisset, quod quidem promiscue pro intus, & introversus usurpari constat. Horatius introrsum turpis, speciosus pelle decora. Cæsar, introrsus inspicere. Varro, introrsus spectare. Livius, nihil introrsus roboris, ac virium esse. Hostem introrsum in media castra accipiunt. Non minus flagitii facit Thuanus, cum l. 5. sic scribit: Tantum terroris oppidanis injecit, ut tandem positis

positis armis deditionem faciunt, & quem modo, tanquam civem admittere noluerunt, sævissimum Tyrannum experti sunt. Quis eum Grammaticas regulas didicisse credat? scribit etiam lib. 26. Pulcherrimam rei bene gerendæ occasionem elabi passus est: *quod magnorum deinde* tumultuum causa extitit, pro quæ causa extitit. *Incommodare* aliquem, pro alicui, sine solæcismo dici nequit: neque tamen Thuanus lib. 10. sic loqui dubitat, cujus & hoc est lib. 9. *Ne aut arma* sumatis ipsi, vel auxilia illis contra me subministretis: quam stribliginem vel puer emendaverit, & ne vel arma sumatis, scripserit. Non longo hinc intervallo apud Thuanum legimus: Ferdinandus respondet, & cum summus sit Magistratus, mirari se dicit, quomodo obe-

dire ſibi nolint, potiusque novitiis quorundam opinionibus auſcultantes curioſitate quadam, & ſuperbia *transverſos agi ſe ſinere, & a via majorum deflectere*, pro transverſos agi ſe ſinant & deflectant. Cujus ſimiles Solæciſmi maximo numero in hiſtoria iſta reperiuntur.

Solæciſmi Poſſevini. In Poſſevino pag. 24. hunc ſolæciſmum invenio: De Theſauro conſtat, quod Imperatori a Longino miſſum apud ſcriptores convenit. Cui hoc pag. 358. ſimile: Miſſurum ſe claſſem intercipiendo comeatu, quod per lacus vehebatur, & obſidendæ urbi. Si tamen ſic ſe ſcripſiſſe fateri velit, Quod pro quoniam utrobique a ſe poſitum defendere poterit, ſicut in his Salluſtii verbis: Sylla cum magno equitatu in caſtra venit, quod ut ex Latio, & ex ſociis cogeret, Romæ relictus erat

aut

aut posteriore loco. *Quod* κατ᾽ ἔλλειψιν, pro quod commeatus, sicut apud Catullum: Non videmus Manticæ, quod in tergo est. In hujus vero Solæcismi defensione plus sudaverit, pag. 796. Hispaniæ classis excidium percrebuit, non Anglorum virtute potius, quam Oceani illius tempestate procurata, aut non prævisa, aut a Duce Hispano non credita. Manifestum enim est scribi debuisse, procuratum, prævisum, creditum. Etiam hoc ei negotiũ facessit, quod p. 790. scripsit: reperta aureorum duodecim centena millia traduntur. Optimum factu censeo, ut id operis assignet, seque duodecies scripsisse constanter affirmet. pag. 726. scribit: *E longe* consilium afferre, quod æque solæcõ est, ac tritum illud, *E contra*, & A longe. Latini dicunt, Emi-

nus, & ex longinquo. Neque hoc excuſationem habet. pag. 778. Ambiguus, an nuptui tradi filiam, aut monaſtico inſtituto obligari expediret. Nam τῷ aut nullus in dubitatione locus eſt, ut a Fabio lib. I. cap. 5. monemur. Itaque reſcribat licet, utrum nuptui, vel nuptuine tradi filiam, an Monaſtico &c. Similis & plane geminus huic Solæciſmus eſt, pag. 45. Neſcio an hujus conceſſionis vi Mantuani agros poſſideant, vel novo jure aucti fuerint, pro hujuſne conceſſionis vi, cum novo jure, &c. Quomodo & cultiſſimi Alciati verſus in Anthologia corrigendus: Ambigo, an hoc Veneris ſit imago, vel Berenices? Solæcon etiam eſt pag. 413. Cuicunque conditioni faciles, dum *imperii* adipiſcerentur, pro imperium. Et pag. 348. Illo hærente

rente & *ambigente futuri*. Nam etsi ambiguus futuri dicitur, tamen ambigere alicujus rei, constructionis ratio dici non permittit. pag. 379. *Patri minor*, pro patre. Et pag. 407. *Posteritati superior*, qui Solæcismus apud eum est pœne perpetuus. & pag. 426. Franciscus *milites* suos rapinis *parcere* imperavit, pro militibus suis, ut parcerent, imperavit. Sic enim Latini loquuntur. pag. 238. Cum *ducentum* equitibus, pro ducentis. Putavit scilicet *ducentum* æque indeclinabile esse atque centum. Sic pag. 19. Ducentum & tercentum millia. Ubi non animadvertit, ter centum bina esse vocabula: Ducentum vero unicum tantũ. Idem Solæcismus p. 300. 302. bis, & 742. invenitur, ut operis Typographicis assignari nullo colore possit. pag. 641.

Ducentum femellas dicit, cum de equabus loquitur. pag. 395. Id expertus eſt, quod rigor amari non poſſit, pro rigorem amari non poſſe. Hoc verum eſſe experior, dicunt, qui pure & emendate loquuntur. *Experior quod &c.* omnino ſordidum, & barbarum eſt. Neque tamen propterea Franciſci Sanctii probo ſententiam, cum *quod* perpetuo relativum ſit (me minime adverſante) nunquam id valere, quod Græcis eſt ὅτι. Nam apud Livium lib. 45. lego: quàm feliciter Remp. adminiſtraverim, & quod duo fulmina domum meam per has dies perculerint, non ignorare vos arbitror. Et lib. 3. Scituros, quod ſine reſtituta poteſtate redigi in concordiam res nequeant. Et apud Plautum in Aulul: Scio quod dictura es, hanc eſſe pauperem. & Aſinar,
ſcio

ſcio jam, filius quod amet meus. Et apud Varronem 2. de re ruſtica. cap. 5. Alii ſcripſerunt quod e Sicilia nobilem Hercules taurum perſecutus ſit in Italiam. Et apud Ciceronem 10. ad Atticum epiſt. 4. Cum ſcripſiſſet, quod cuperet, me ad urbem venire. Plura ejuſdem rei exempla Manutius comm. lib. VII. ep. fam. ep. 28. collegit, quorum tamen nonnulla ſunt prorſus ἀπροσδιόνυσα & aliena.

Exempla Peregrinitatis.

PEregrina eſſe dixi, quæ Romanis ignota ſunt, & ad idiomata aliarum lingvarum conformata. Cujus generis eſt Saluſtianum illud, amat fieri, pro ſolet, quod Græci ſermonis imitatione, non etiam Latini norma defenditur. Quemadmodum etiam pervulgatum illud. *Peregrina Græcis ſantia.*

Non me latet: nam Plautus, Cicero, Varro, & Lucretius dicunt: Non mihi latet, non mihi occultum eſt, non me fugit, præterit. Exempla in Hypobolimæi Scaligeri pag. 233. invenies. Apud Ciceronem quidem in Orat. pro Sylla editi Codd. præ ſe ferunt: Lex dies fuit propoſita paucos: ferri cœpta nunquam, pro poſita eſt in Senatu, Populum Romanum latuit. Sed ſciunt, Antiquarii in veteribus libris & monumentis, hæc duo, Populus Romanus, & Reſpublica per omnes caſus nequaquam integre perſcribi, ſed hoc tantum modo P. R. & R. P. notari ſolere. In vetuſtiſſimis ergo exemplaribus ſcriptum fuit. P. R. latuit. ex quo ſemidoctus aliquis accuſandi caſum protulit. Poetæ quidem, non me latet, dicunt, ſed in eo extra Latium pere-

peregrinantur, & græciſſant. quod eis propter metri neceſſitatem conceditur, quemadmodum alia multa, quæ in pedeſtri ſermone minus tolerantur. Ita Græciſſat Burdoſcaliger, cum ſcribit: Eſt interdum indignari. Et Lipſius in iſtis, Non fuit mihi te videre. Deſine admirationis: quod poſterius ſic imitatur Caſaubonus: Deſine querelarum. Ejuſdem notæ eſt hoc Poſſevini pag. 32. Otho Imperator victor, & filii ſuperior fuerat. In quo Tacitum ſuum imitari credo voluit, cujus hoc eſt principio lib. V. hiſtoriarum. Titus ut ſuperior ſui jam crederetur, decorum ſe promptumque in armis oſtendebat. Ubi Helleniſmum non animadvertens Lipſius, ridicule emendare conatus eſt, ut legatur. Ut ſuper fortunam crederetur. Verum iſta, quoniam

Peregrina Burdoſcaligeri, & Lipſii. Caſauboni Poſſevini.

niam ex Græcia, literarum & omnis elegantiæ magiſtra, petita ſunt, quamvis non omnino ineptia & κακοζηλία vacent, veniam merentur: non item, quod ex idiotiſmis lingvarum hodie uſitatarum effinguntur. Cujusmodi eſt Pati damnum, pro, facere, vel accipere. Et hoc Joannis Marianæ: Rex ſumtus iſtos excuſare poſſit, pro compendi facere, lucri facere, ponere ad compendium, ſumtibus ſuperſedere, ex Hiſpanico idiomate, *excuſar los gaſtos*. Ita peregrinum & barbarũ eſt ſaltem ſignificatione, quod a Burdoſcal. frequentari oſtendi Hypobolimæi pag. 232. Incivilis, pro agreſtis, & incivilitas pro ruſticitate. Et compenſatio meritorum pag. 239. pro penſatio, expunctio, & æquatio, remuneratio. Peregrinum quoque videtur hoc Lipſii

Cent.1.Epist.40. collocabimus cistas tuas bono & aerio loco, pro, perflabili loco, *arioso*, ut Itali loquuntur. Celsus lib. 3. cap. 19. loco non calido, fenestris patentibus, ut perflatus quoque aliquis accedat. etjam, *concludere*, sic absolute, & sine illa adjectione dictum, pro finem scribendi facere, non Latinum, sed hodiernam olet Hetruriam. Cent. 5. epist,33. At tu mi Stravi, ut concludam, amice. Idem de hoc censeo, quod est Cent. 4. epist. 68. Oratiuncula prodierat in meo nomine, pro meo nomine perscripta. Hetruscum quoque idiotismum in his verbis agnosces Cent. 4. Epist. 63. Illud quod literis sedulò egisti, a me etiam actũ, ex inclusa hac epistola vides. Latinis enim epistola inclusa dicitur, quam quis suæ sive epistolæ, sive Orationi

Peregrina quædã Lipsii.

totidem verbis interponit. Sic Cicero, pæne orationem in epiſtolam incluſi: illud includam orationi meæ. Sed Lipſius id nempe dicere volebat, quod eſt in his Ciceronis verbis: Faſciculus, quo illam epiſtolam conjeceram. Ex illo libello, qui in epiſtolam conjectus eſt. Eas epiſtolas in eum faſciculum velim addas. Ad eum de te diligenter ſcripſi, eamque epiſtolam cum hac conjunxi. In literis tuis ad me epiſtolarum illius exempla miſiſti. Verum iſta nimis Tulliana Lipſio viſa ſunt. Itaque alio loco impoſitam epiſtolam dicere maluit, minime tamen probantibus iis, qui æs lupino quid interſit, judicare poſſunt. Cent. 4. ep. 12. Epiſtola impoſita ad eum it, quem vides, pro, epiſtola, quam una cum hac in eundem conjeci faſciculum, cui inſcripta ſit, vides:

vides: vel,ei inſcripta eſt,quem vides. Affectatum etiam vocat Lipſius, qui putidus & nimius eſt in re quapiam perſequenda, quod ei ex hodierno Italorum idiotiſmo adhæſit. Monit. Polit. cap. 16. Orientales Imperatores in his talibus (ſpecie, geſtu, cultu) magis curioſi, aut affectati, pro, iſta talia aucupantur, venantur, nimio ſtudio perſequuntur. Peregrinum etiam ſordidumque eſt hoc Caſauboni in Athenæum pag. 43. Fluit ubertim, ſive præſto adeſt in magna copia, dicunt, pro affatim, abunde, affluenter, copioſe & abundanter. Ejusdem farinæ eſt hoc Thuani in hiſtoriç prçfatione: Remittentibus *cum tempore* odiis, ſc. col tempo, Etruſci vulgo uſurpant. Tullius, *procedente tempore*, in poſterum, in reliquum tempus, tem-

Caſauboni.

Thuani.

temporis intervallo. Laurea amittit longo tempore viriditatem. Qui etiam, quod Thuanus diceret, omnes cum tempore fiunt tardiores, hoc modo effert: Quo plus cuique ætatis accessit, eo fit tardior. Ejusdem Ciceronis est. Oportunitas non fit major productione temporis. Et 10. ad Attic. ep. 1. Quæ tu scelera partim parari, etiam cogitari, partim ex tempore futura censes? Quo loco *jam*, & *ex tempore* opponuntur. Plautus, in ætate dicere solet, ut Trinum. Amicum castigare ob commeritam noxiam, immane, sive injucundum est facinus, verum in ætate utile ac conducibile, id est, ætatis progressu, col tempo. Hoc etiam Livii lib. 42. non alium habet sensum, si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse,

posse, quibus amissa recuperare posset. Pro quo Thuanus dixerit: Eum, quæ amisit, cum tempore recuperare posse. Paris elegantiæ est hoc Thuani lib. 1. Rex *Episcopum aliquando deponere* potest, pro, Episcopatu depellere, abigere, exuere, movere, removere, dimovere, detrudere, dejicere, abire cogere, aut Livii imitatione, Episcopatum alicui abolere, aut Velleji, abrogare. *Probare*, pro experiri, sive experimento capto cognoscere, nemo, nisi valde in Latio hospes, dixerit. Hoc tamen Thuanus facit lib. 18. Qvi tantam humanitatem in exteris ac diversa sentientibus probavit, longe contrariam fortunam inter suos expertus est. Citat quidem Brissonius JCtorum loca, ubi probare ex vulgari Italorum idiomate pro experiri legatur, sed accuratius

intuiti, probare, pro, approbare, laudare, probū judicare, dictum inveniunt. V. Gr. Gajus, l. 15. ff. de peric. & commodo rei vend. Sive Emptor non degustarit vinum, sive degustando male probavit, de se queri debet: hic probavit, significat, approbavit, bonum censuit. Modestinus l. 32. ff. ad l. Corn. de Falsis. Mensuras vini aut frumenti publice probatas corrumpere, id est, quas auctoritas publica pro probis agnovit. Mela l. 39. ff. De solut. Si soluturus tibi pecuniam, eam apud numularium, quoad probaretur, deposuerim. Hoc loco probaretur, non significat, ad obrussam exigeretur, sive inspiceretur, aut examinaretur, sed pro spectata & probata agnosceretur. Seneca tamen, effectu probare videtur dixisse pro, ipso opere experiri,

Epist.

Epiſt. 24. Hæc ſæpe audiſti, ſæpe dixiſti, ſed an vere audieris, vere dixeris, effectu proba. Quamvis proba, rectius interpretemur, demonſtra, approba nobis, planum fac. Inquinatiſſimum eſt hoc etiam Thuani, quod in lib.13. lego. Viginti ad minus dies hoſtem in obſidione moraturum. Et apud Poſſevinum, p.85. Illi crediti, ſi non pecunia, conſilio ad minus Germanos juviſſe. Hetruſcus Idiotiſmus habet, al manco, Hiſpanicus, Alomenos, quod Latine indocti, Ad minus, alii, nihilo doctiores, ut mi nimum efferunt. Sed pro eo Latini dicunt, minimum, ſaltem, at ſaltem, duntaxat, quidem certe, quidem utique, tamen, quod minimum eſt. Ex eodem patriæ lingvæ fonte, haud pauca Poſſevinus in hiſtoriam ſuam derivavit. ut ſuſpicionem moveat,

Poſſevini.

veat, se popularis sui Theophili Fulengi exemplo, macaronizare, & Merlinum Coccajum soluta oratione reddere voluisse. Tamquam, p. 33. Copiam donationis non accepi. & pag. 370. Concordiæ transumptum vidi. Qvo utroque loco Exemplum, sive Exemplar significat. p. 60. Unanimi Electorum voto Imperator est salutatus. Nempe votum hodie Itali pro puncto aut suffragio usurpant. p. 279. Sequentis diei tardo revertit. Ubi tardum valet tempus vespertinum, Hetrusco, aut Hispano idiomati congruenter. p. 46. Episcopo apparuit, arcteque præcepit, non Latine potius, quam Hetrusce. p. 47. Imperatorem inspectatus adjungit, pro, accedit, quoniam sc. Jungere in Hetruria est advenire. pag. 152. Nec erubuit *indiscretissimus* Imperator,

tor, ubi rem familiarem hospitis exhausit, etiam auxilia poscere. Discretus Latinis est distinctus, separatus, divisus. Sed hodierno Italiæ idiotismo notat eum, qui discrimen facit inter nimium & parum, inter quod decet, quodque non satis convenit. Hoc discrimen, qui negligit, aut confundit, indiscretus vulgo dicitur. Uterque vero habitus discretio & indiscretio: quæ quomodo pure minimeque barbare dici queant, hinc cognoscetur. Livius lib.1. Cum in tanta multitudine hominum, discrimine recte, an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent. Cic. omnia officia tolluntur, dilectu omni & discrimine remoto. Idem. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia, quasi dicat: Vulgus agit omnia sine judicio

dicio & diſcretione. Idem. Populus non dilectu aliquo, aut ſapientia judicat, ſed impetu nonnunquam, & quadam temeritate. Horat. Cum fas atque nefas exiguo fine diſcernunt. Varro diceret, non ſignant alba linea. Cic. Quid facere potuit elegantius ad hominum exiſtimationem: Poſſevinus dixerit: quid facere potuit cum majore diſcretione. Idem Cicero. Vos qui cum ſumma elegantia, atque integritate vixiſtis. Nimirum elegantia ab eligendo dicta eſt, quaſi dilectus & diſcrimen. Unde & Elegans ſæpe, pro homine faſtidioſi judicii accipitur, cui quid non facile placet. Rurſum Cic. Si quis in Convivio ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, inhumanus videatur, inſcitia loci ac temporis, id eſt, ob indiſcretio-

tionem, ſive quod nullo neque temporis, neque loci diſcrimine utatur. pag. 359. Hic exilium voluntaria ſeceſſione tegens ſpe futuri dominii ſuſtentabatur. pag. 369. Utrosque ſui dominii perpetuos Vicarios Imperii nomine decrevit. Italia ſcilicet hodie Dominium, alias pro dominatu, aut dominatione, id eſt, poteſtate ac imperio, alias pro provincia ditioni alicujus, aut dominationi ſubjecta uſurpat. pag. 355. Animum nullo demerito fœdatum. Et pag. 369. Quantum ſcelere demeruerant. Utrumque ſatis barbare. Idiomate tamen Etruſco convenienter. Latinis demerere, eſt mereri, parare, acquirere. Plautus. Quid mercedis petaſus hodie Domino demeret? id eſt, quantum lucratur petaſi iſtius Dominus, qui eum tibi utendum dedit.

Ovid.

Ovid. Crimine te potui demeruiſſe meo, id eſt, tuam mihi benevolentiam conciliare, gratiam abs te inire. Fabius. Ut pleniori obſequio demereret amantiſſimus mei. pag. 796. Clades ab Hiſpano Duce ſibi præſumente non credita, pro, nimium ſuis viribus confidente, aut nimium ſibi arrogante, aut ſumente. Præſumere enim ſic hodie uſurpant Itali, ſed aliter Latini, ut Fabius. Cenſuram maledicendi ſubeuntibus etiam male audiendi præſumenda patientia eſt, id eſt, animo præcipienda, ut Maro loquitur. pag. 703. Veneti capto Mantuæ Marchione, ſuis recuperandis, magna feſtinatione incubuere, Mantuano agro temperantes, quaſi ſatis ambitioni ac deſiderio eſſet, Dominum in perſona luere. Et hoc vulgarem Idiotiſmum olet.

Per-

Persona, Ciceroni σχῆμα, *species*: posteriores, pro capite, sive homine acceperunt, non tam Cornelii Celsi, (apud quem in præfatione, non pro vulgi consvetudine accipitur.) quam Servii Sulpitii auctoritate, nisi tamen ejus verba Neratius, quod non nemo suspicatur, interpolavit. l. 8. ff. de Cond. sine causa. Ciceronis in extremam Milonianã hæc sunt verba: Si in me aliquid offendisses, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? Possevinus, opinor, diceret: Cur id Milo potius, quam ego in persona luere debet? Cur non in meá potius persona, quam in Milonis vos ulciscimini? Seneca in Apocolocynthosi: In personam, non in rem dicere, pro in hominem. Illud nihilominus in persona luere, non tam novum, quam peregrinum est.

Exem-

Exempla Novitatis, ſeu Novationis.

NOva verba & loquendi genera voco, quæ illo tempore, quo quum optime, puriſſimeque Romæ loquebantur, nondum in uſu erant: quorum quo quidque ab aurea illa Latinæ lingvæ ætate eſt remotius, eo deterius, minusque imitandum videri debet. Novationis autem cauſa eſt duplex, Arrogantia, & Indiligentia. Alii enim quidquid eis in buccam, quod ajunt, venerit, eo fidentiſſime utuntur, nihil prorſus aliorum de ſe exiſtimationem aut judicia reveriti, quaſi quod prius Latinum non erat, ipſis dehinc auctoribus pro Latino ſe probare omnibus debeat. Dignum genus hominum, cui pro tanti ſui deſpicientia odium a ceteris reponatur. Alii ſive

Novationis cauſæ.

Arrogantia.

ſive ipſi nova & inſolentia comminiſcuntur, ſive ab aliis prius novata in oratione adhibere non dubitant, non quod tam valde ſibi placeant, ut iis uctoritatem a ſe dari poſſe cenſeant, ſed quoniam ſtudium eis defuit probatiſſimos auctores ac ſcriptores multum verſandi, & verborum in eis pondera examinandi. Itaque cum ſcribunt, protinus ſe offerentia arripiunt, neque ſuſpectam habent eorum familiaritatem, quæ vel ſcriptorum minus Latinorum lectio, vel quotidianus Latini ſermonis uſus, quem lutulentum, ut dixi, fluere conſentaneum eſt, ipſis nec opinantibus affricuit. In horum cenſu nomen meum profiteri nulla eſt mihi verecundia, neque temere quemquam nominatum iri perſvaſum habeo, cujus non hoc ſaltem nomine barbara ali-

Indiligentia

Scioppius ſuam fatetur culpam.

cubi inveniatur oratio, ut & hic locum habeat illud Poetæ: Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur.

Novitates Salluſtii. Sed ut exemplis res declaretur, a Salluſtio placet incipere, quem Valerius Probus, illuſtris Grammaticus, verborum novatorem vocat, & Agellius ejus novandi ſtudium cum multa prorſus invidia fuiſſe ſcribit. Is finxit verbum *loquentia*, ut dicatur, ſatis loquentiæ habere, quem verba non deficiunt: quod quam ſit dictu ridiculum, cuivis non indocto apparere puto; Idem voce *Noviſſimus*, pro Extremo, & noviſſime, pro ad extremum utitur: quod Varro ſua ætate vulgo dici cœptum, ſed a doctioribus quibusdam, ut nimis novum, vitari ſolitum ſcribit. Cicero tamen adhuc adoleſcens,

lescens, *Novissimum* Comœdum, pro eo, qui non tam tempore, quam genere postremus esset, sive pro deterrimo dicere non dubitavit. Plancus autem & Cassius & Galba, & D. Brutus in epistolis ad Ciceronem, eo tanquam satis recepto utuntur. Novitatem quoque habet apud Sallustium : *Bona libido est* mihi vobis gratificandi, pro, libet mihi vobis gratificari. Et, in equis & canibus libidinem habere, pro, equis delectari, aut in equis se oblectare. Et, hostes pæne victos dare, pro vincere. Et civitates formidine, aut ostentando præmia *affectare*, pro, tentare, sollicitare. Et, *pœnas* pro aliquo *capere*, pro ulcisci aliquem. Et, *pœnæ esse*, pro puniri, & *suspiciens* aliquem, pro suspectum habens. Et, *cupidinibus* faciendi, pro desiderio, & *volentia* alicui fa-

cere, pro grata & jucunda. Et, *patrare* bellum, pro, conficere, finire. Et omnes difficultates *ſupervadere*, pro, ſuperare. Et *habere ſilentium*, pro ſilere. Et, obtinere, pro credere, perſvaſum habere. Ipſius quoque Varronis nova legimus plurima, cujus generis eſt Verbum *Improperare*, pro, intro properare, ſive properare, intro ire a Plinio citatum lib. 36. cap. 13. Et in *poſtprincipiis* diſciplinarum, pro in finibus, tametſi Accium prius id uſurpaſſe, & *Poſtprincipio* adverbialiter a Plauto dictum, pro in exitu, vel tandem, non ignoro. Et *noctis* circiter *meridiem*, pro, circiter mediam noctem. A M. Cœlio vocem Parricidatus novatam teſtatur Fabius. Novationem, & ex ea natam obſcuritatem in M. Antonio Cicero ſecunda Philippina reprehen-

Novitates Varronis.

Cœlii.

Marc. Antonii.

hendit, quod *pissimus* dixerit. & *dignus* pro eo, qui cum dignitate est. &, contumeliam *facere*, pro pati, sive accipere, aut contumelia affici, quod postremum non intelligentes Erasmus & Jul. Burdoscal. super eo, Andabatarum more digladiati sunt, velut Hypobolimæi Scaligeri pag. 280. demonstravi. Novitatem quoque nonnullis resipere videtur hoc Corn. Celsi. *Cum eo*, pro ea lege, eo modo vel pacto, ista pacta lege, ea conditione, cum hac exceptione, hactenus, dum tamen. Ut si dicam. Venturum me promittam, cum eo tamen, si per occupationes mihi licuerit. Itali dicunt, con questo pero. Eo tamen Ciceronem usum comperio lib. 6. ad Att. ep. 1. Mihi non excidit illud, quod tu ad me scripsisses, si nihil aliud de hac provincia, nisi Bruti

Corn. Celsi.

benevolentiam deportassem, mihi id satis esse. Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo (credo,) quod sine peccato meo fiat. Similiterque Livium lib.8.14. Laviniis Civitas data, sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes Junonis communis Laviniis, cum Pop. Rom. esset. Et mox: Antium nova colonia missa, cum eo, ut Antialibus permitteretur. Si & ipsi adscribi coloni vellent. Fatendum nihilominus est, non pauca apud Celsum exstare, quæ verisimile sit, non temere se æqualibus illorum temporum scriptoribus probasse. V. Gr. lib.6. cap.26. Id genus deductum est in species, prorsus quemadmodum Generis & speciei vocabula hodie in Scholis usurpantur, etsi negari non debet, ea Ciceronis quoque & Varronis auctoritate niti. Ejusdem lib.

lib. 6. cap. 6. Suffusio oculi potentiæ, qua cernit, se opponit. Scholastici naturalem potentiam & impotentiam in ore habent. lib.4. cap.19. Donec omnia liquata, in unitatem quandam coeant. Et lib. 7. c.4. Linum duplex, triplexve, sic tortum, ut unitas facta sit. lib.5. cap. 26. Et avis & venatio, & svilla elixa dari potest. Et c.28. Excepto apro omnis fere venatio. Ubi venatio valet carnem ferinam venatu captam, quomodo & apud Livium. Ibidem & aliis locis verbum *superdare* legimus, pro imponere, ut, Cataplasmata superdare. Utitur eodem cap. voce *Aspredo*, Et lib. 6. cap.6. *Aspritudo*. Proemio lib. 7. Medicus perinde faciat omnia, ac si nullus ex ægri vagitibus *affectus* oriatur. Ubi Affectum vocat, quod Græci πάθος. Cicero,

Perturbationem. Argenteæ ætatis ſcriptores id magis poſtea uſu triverunt. Sed Ciceroni, Affectus animi eſt ſtatus, conſtitutio, affectio, conditio, qualitas animi. Horum ſimilia quandam novitatis ſpeciem habentia, adhuc plura afferri poſſent, niſi vel iſtis referendis ſtomachum non nemini motum iri proſpicerem. In diſertiſſimi Mureti libris, nihil quod ab eo novatum videretur, legere me commemini. Parvula quædam ſunt, quæ iis, qui ſuperſtitioſe Ciceronem colunt, novata videri poſſunt. Ut *Reditus*, pro Vectigalibus aut fructibus annuis. Variar. Lect. l. 17. c. 12. Magnifica eis ędificia exſtruxit, reditus quibus alantur, attribuit. Sed etiam ſi hæc vox in Tullii libris non comparet, nequaquam tamen eo indigna eſt, nam & Corn. Nepos limatiſſimus

Nonnulla, quæ a Mureto nova videri poſſunt

mus ſcriptor, cujus judicium revereri Cicero ſolebat, in Attici vita ea utitur, cum ita ſcribit: Omnis ejus pecuniæ reditus conſtabat in Epiroticis,& urbanis poſſeſſionibus. Et Liv. lib. 42. Reditus metallorum. Et hos ſecutus Plinius lib. 33. cap. 10. Reditu añuo legionem tueri. Sic & redire ad aliquem, pro, lucro eſſe, aut utilitatem afferre. Jamne enumeraſti, quod ad te rediturum putas. Et Cic. Velle bonis aliquem affici, etſi ex his ad ſe nihil redeat. Etiam voce *nedum*, pro non ſolum, minus Ciceroniane uſus fortaſſe videbitur in his verbis Var. Lect. 18. cap. 20. Deplorat Qvinctilianus uxoris & filiorum mortem: ex qua tantum hauſerit doloris, ut ſe, nedum inſtituta ſtudia perſequi, eis ſuperſtitem eſſe poſſe miretur. Sed Muretus hoc ſe

Ciceronis loco facile tuebitur, lib. 10. ad Att. epiſt. 18. Quoniam quartana cares, & nedum morbum removiſti, ſed etiam gravedinem, te vegetum nobis ſiſte. Hoc modo in omnibus fere libris legi, ait Lambinus: ſed id probare non eſt auſus, propter inſolentiam locutionis. Verum Balbus & Oppius ejus Latinitatem ſatis præſtant, cum in epiſt. ad Ciceronem, quæ exſtat lib. 9. ad Atticum ep. 10. ita ſcribunt: Nedum hominum humilium, ut nos ſumus, ſed etiam ampliſſimorum virorum conſilia ex eventu a plerisque probari ſolent. *Suſpectionem*, ſimiliter pro ſuſpicione l. 8. c. 9. & 20. a Mureto dictam minus Latine volent. At ille Terentium ſe auctorem habere dicet, quamvis elegantius facturum fuiſſe putem, ſi Ciceronis monito parere, & id genus deſita,

ac

ac repudiata meliori sæculo verba missa facere voluisset. Neque hoc Tullianorum multis facile probaverit, quod l. 5. c. 15. scribit. Secundis rebus *Insolescunt* plerique homines & efferuntur. Is autem nihil se peccare censuit, si Sallustiano verbo insolescere uteretur. Sallustii enim verba sunt non longe ab initio Catilinarii: eodem modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum. in quo Catonem imitatus est, cujus erat in Orat. pro Rhodiensibus. Ne Romani ad superbiam, ferociamque & immodicum modum insolescerent. Plebejum quoque illis videbitur, quod est. l. 18. c. 16. Ad Episcopi munus *promovere.* Ciceronem enim sic potius loqui: Qvem tu ad hunc honorem rogatione tua detulisti, quos fortuna extulit,

quos ad ampliſſimos honores perduxit, quos in altiſſimo gradu poſuit. Sua virtute in altiorem locum pervenire. altiorem dignitatis gradum aſſequi. Sed Muretus ſuum Promovere, nihilo deterius eſſe contendet verbo Provehere, quo Cicero & Livius utuntur, aut Producere, quo Curtius lib. 7. Ad magna & honorata miniſteria, illius maxime ſuffragatione producti. Cicero: Ecquo te tua virtus provexiſſet, ecquo genus. Livius: Ad honores ſummos, alios ſcientia Juris, alios Eloquentia provexit. Plus etiam probabunt, quod Tacitus frequentat, honoribus aliquem extollere: Ut Auguſtus Marcellum Pontificatu, Agrippam geminatis Conſulatibus extulit. Negabunt etiam ferendum, quod exſtat l. 6. c. 5. Quotidiana docet *Experientia.*

Et

Et l. 13.c.12. E memoria ejus, quod ſæpe eodem modo contigit, Experientiam, e multis autem Experimentis, artem effici. Nam Experientiam ſunt, qui contendant, non ſignificare uſum rerum, ſed periculum, aut periclitationem, id eſt, actionem, qua quis rei cujus piam facit periculum, ſive, qua quid tentat, velut ex Ciceronis, Varronis, & Planci verbis apparet. Defendit Muretus ſibi ſatis locupletem auctorem viſum Vellejum Paterculum, qui ſimiliter ea voce uſus fuerit. Ego verba experiendi & experientia, alias proprie, alias Tropice uſurpari animadverti: Ut proprie experiri ſit, rei alicujus periculum facere, ſeu tentare, itane aliquod ſit, an aliter: per metonymiam vero, conſequentis ſignificet, comperire, ſentire, certum fieri, periculo

ac

ac negotio cognoſcere. Proprie uſurpat Plautus Capt. Iſta dicta te experiri & operis & factis volo. Et Aſinar. dignos, indignos experiri certum eſt mihi. Terent. Experimini, ingenium quid poſſit meum. Omnia experiri certum eſt, priusquam pereo. Cic. Noli experiri, quod aſſequi te poſſe diffidas. Aliquid cum periculo experiri. Vim veneni in ſervo experiri. Experiri voluit, ſi quam opẽ reis ferre poſſet. Fortunæ amplificandæ experientia lapſus, id eſt, dum tento amplificare fortunam. Plancus ad Ciceronem. Fortuna me ad hanc Experientiam excitavit, id eſt, ut hæc tentarem, periculum facerem. Tropice vero Plautus merc. Nunc ego verum eſſe experior verbũ vetus. Et Bacchid. Id opera expertus ſum, ita eſſe. Terent. Hoc
re

re ipſa experiere, experiundo ſcies. Cic. dicam non tam doctus, quam id quod majus eſt, expertus. Hoc quam crebro accidat, experti debemus ſcire. Præſens, experta, atque perſpecta hominis virtus. Muretus etiam *Imputare alicui*, pro aſſignare, tribuere, adſcribere, minime ſecundo Tullianorum judicio dixit lib. 12. c. 16. Quicquid ſtolide dictum erit, id ſc. ei uni, cujus ille liber eſt, imputari oportebit. Sed ille ſibi in Senecæ, Petronii, aliorumque ætatis argenteæ ſcriptorum auctoritate ſatis præſidii futurum credidit. Ovidius quoque ei auctoritatem commendat in epiſt. Hypſip.

Atq; aliis Peliæ de partibus acta venenis
Imputat. —— ——

Stomachum quoque non nemini moverit. *Subjungo*, pro, addo,

addo, adjicio, appingo, ſubjicio, ſuppono, lib. 8. c. 1. Quoniam ſemel audere cœpi, ſubjūgerem etiam verſus aliquot. Verum ille apud Fabium ſæpe, ſemel apud ipſum Tullium id verbi uſurpatum ſimiliter inveniri referet, quamvis, ut verum fatear, in Orat. de Aruſpicum reſponſis ſubjuncta ſignificet, ſimul juncta, ſive conjuncta in verbis, quę ſubjecta ſunt. Fortaſſis etiam Solæciſmi dicam hoc ei nomine ſcribere volent, quod *Impedire alicui* dixerit. lib. 10. c. 12. Syllabæ modos obſtare, atque impedire huic mutationi videtur: At enim ille non ſe magis accuſari poſſe dixerit, quam Ciceronem, cum ita ſcribit: Me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolum ſvaſit, verum etiam rogavit. Sed & Varronem comperio dixiſſe. Impedire alicui, pro Impedimento eſſe.

esse. lib. 9. de ling. Lat. In vestimentis & ædificiis novitati non impedit vetus consvetudo. Molesti etiam ei fuerint, quod *Qvandoque*, pro aliquando de futuro tempore, nullo Ciceronis exemplo posuerit lib. 13. cap.6. Lambinus in adversariis suis jam pridem notaverat, quicquid alii aut jam dixerant, aut quandoque dicturi erant. Ille vero his Livii verbis eos summoverit. l. 21. Ego eum domi tenendum censeo, ne quandoque parvus hic ignis incēdium ingens exsuscitet. Non etiam hoc ei sic abire patientur. quod lib.5. cap. 6. legitur. *Juxta* præceptum Hesiodi. Nam juxta non nisi in ferreæ ætatis scriptoribus hoc modo usurpatum legi contendent, Tullianum vero fore si dicas: Ut est apud Hesiodum, ut Hesiodus præcipit, ex Hesiodi

præ-

præcepto, aut ſententia, ut habet Heſiodi præceptum, ut Heſiodo placet, aut videtur. Defendet Muretus, *juxta*, & *ſecundum* eſſe ſynonyma, adeoque ſi Varroni ſecundum antiquam conſvetudinem dicere licuit, merito ſe nihil dubitaſſe, quin eo exemplo Juxta recte dicatur. Aberunt autem non longe, quin, quod jam Lambinus, nimis rigidus Latinitatis exactor fecit, *Apparere alicui*, inſolentię condemnant, l. 5. c. 19. Deos Æneæ potius, quam cuiquam alii, apparuiſſe credibile eſt. Sed ille ſtrenue judicium eorum contemnet hoc Tulliano fretus: Angvis, qui Syllæ immolanti apparuit. Minime porro Latinum eſſe pugnabunt, quod lib. 2. c. 14. ſcriptum eſt. Martialis Silio Italio *coævus* fuit. Nam locum Ciceronis in Vatinium mendoſe ſic legi: Nunquam

quam epulum videras? numquam puer aut adolescens inter coævos fueras? cum veteres libri Cocos, vel Coquos habeant. Pro barbaris istis Coævus, Coætaneus,& Contemporaneus, aut Græce σύγχρονος, vel ὁμῆλιξ, aut ita cum Cicerone & Livio dicendum: Livius Ennio æqualis fuit. Vis non modo senior, quam ætas populorum, sed æqualis Dei. Orbius meus fere æqualis. Nec quisquam æqualis illis temporibus scriptor exstat. Quorum ætates nihil, aut non fere multum differunt. Homines illius ætatis, qua ipse erat. Fannii ætate conjunctus Antipater, Varro cum Sicuinio ætate conjunctus. Apud Petronium Coęqualis lego: Coæquale natalium suorum sinciput illud totidem habere annos, quot ipsa vetula. Qua significatione

Æquæ-

Æquævus dici ſolet. Vigilius.

Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. ———

Plinius: Arbor Lotos in Vulcanali æquæva urbi intelligitur. Juſt. l.23. Hieroni in ludo inter coæquales diſcenti: pro inter æquales ætatis Condiſcipulos. Muretus ſuum Coævus editorum Codd. auctoritate ſatis defenſum duxerit, cum ipſe, quid in nonnullis ſcriptis eſſet, ſuſpicari non potuerit. Nam Servium non videtur auctorem habere voluiſſe, cujus verba ſunt in Georg. 1. Chorus eſt proprie coævorum cantus atque ſaltatio. Difficulter etiam hoc iisdem probaverit lib. 13. cap. 17. Si quis ex me, quid ſentiam *roget*. Nam quærere ex aliquo, & rogare aliquem, apud idoneos auctores legitur. Ex aliquo rogare, boniſne auctori-

ctoribus dici queat, nescio. Erogitare ex aliquo, Plautum in Capt. auctorẽ habet. Lib. 23. cap. 19. ita scribit Muretus. *Quorsus necesse est*. præcones, quibus per urbem aliquid edicendum est, in Elidem & in Hispaniam mittere? Vereor, ne id non æque excusari possit. Nam, quid necesse est, quid attinet, quid refert, quorsus spectat. non, quorsum necesse est. neque quorsum attinet, nec denique, quorsum refert, locupletium auctorum consvetudini congruenter dici videtur. Etsi non nescio illud Val. Max. lib. 4. c. 4. Quorsum attinet divitias in prima felicitatis parte ponere. Lib. 17. cap. 10. scribit: Sed ne optimi quidem jaculatores semper *collimant*. Hic primum Barbarismus videtur Orthographiæ leges violans. Collineare enim, non Collimare,

scri-

bi debet: nam quod in libris quibusdam veteribus Collimare invenitur, id ex eo natum scimus, quod cum prius fuisset scriptum Colliniare, posteriorum librariorum error, ex n, & i. fecit m. quod alias sæpe usu venisse norunt omnes, qui veterum monumentorum usum habent. Deinde Novitas significationis multos offendet, cum *Collineare* nequaquam significet destinatum ferire, seu, scopum tangere, sed dirigere, & moderari manu telum, velut Seneca loquitur. Cicero 3. de Finibus. Si cui propositum est collineare hastam aliquo, aut sagittam. Et 2. de Divin. Quis est, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? id est, qui semper temere & in incertum jaculetur, neque jaculum ad certum aliquem locum dirigat? Sicut insanorum & ebrio-

ebrioſorum viſa, ad futuros eventus conjectura dirigi, ac velut collineari poſſunt. Agellius 9. c. 1. Si in editiora telum mittas, & ad percutiendum ſuperne aliquid, manum & oculos collinees. Apulejus de Aſino l. 9. Collineatis oculis ad umbram meam, h. e. intentis & directis. Plerique denique Ciceroniani frement & indignabuntur *Figmenti* vocem apud Muretum legi l. 13. c. 12. Sed ego figmenta eſſe illa poetarum putabam. Nam eam in nullo idoneo auctore inveniri, neque verba Latina, quibus eadem res ſignificetur, deeſſe. Terentius, Commentum dicit. Cicer. Vetera exempla pro fictis fabulis haberi ſolent. Tibullus. Non eſt in vanum fabula ficta jocum. pro, non eſt jocorum figmentum. Livius lib. 16. Si qua eſt ſapientum Civitas, quam docti

docti fingunt, magis, quam norunt. Sed Muretus vocem a Plinio usurpatam cur refugeret, causam fuisse pernegabit, cui præsertim analogia suffragetur. nam ut, a Pingo est pigmentum, quo Plautus & Cicer. pro colore pictorum, seu fuco utuntur. Item a Fingo, figmentum. Haud tamen scio, an satis firma sit ista defensio. Nam ut Plinium ea voce sic usum constet, tamen Pigmentum, non rem pictam, sive effectum, sed colorem quo quid pingitur, sive causá administram, vel instrumentalem significat. Figmentum autem pro re ficta hic ponitur, quemadmodum & apud Ammian. Marcell. lib. 19. Aureum capitis arietini figmentum pro diademate gestans. Et lib. 22. Deæ argenteum figmentum, id est, statuam ex argento fictam. Agellius

lius vero verborum novorum figmenta, pro fictiones, vel conformationes dixit lib. 20. c. 9. Ut ut autem analogice se habent, cum & Asconius Pedianus figmentum pro re ficta dicit, merito reprehensores suos Muretus plorare jusserit, qui quod in nullo vulgarium istorum indicum, sive Lexicorum notatum vident, statim nusquã legi decernunt. Locus Asconii est in principio Comment. in 3. Orat. contra Verr: Hoc totum figmentum est Ciceronis, ut sequentium librorum vera actio videatur. Neque tamen non vere censuit Hadrianus Cardinalis, multa posteriores de suo allevisse Asconio, quæ neque ille, neque ætatis illius quisquam temere cognosceret. in quibus quin Figmentum numeretur, nequaquam impedio.

Novitates Burdoscaligeri. In Josepho Burdoscalig. veteratore ad novandum nato, non pauca passim invenias, quæ Latinorum aures, ut insolentia & nova minime agnoscant. Eorum specimen in Scaligero Hypobolimeo, gustumque dedi, unde pauca hic transferre libet. p. 182. Ostendimus vel mediocriter Græce doctum, *aliudvis* interpretaturum, quemadmodum Epiphanius exposuit, pro, Qvidvis aliud, aut Qvidvis potius. Ibidem. *Asininitas* mera est. Vox Burdone non indigna, quam tamen Melaniston prius usurpaverat. Ib. Qvem non expressis quidem verbis, sed ex *Consequentiis* mentitum facis. Quod loquendi genus amatores Burdonis non temere in quoquam Scholasticorum Theologorum, quos illi, ut lutulentos fastidiunt, toleraturos puto. pag. 238. Hæc omnia,

mnia, *translatitio*, dicta sunt, pro μεταφορικῶς, per figuram. Non translatitio, sed translatitie, dicunt JCti pro dicis causa, sive ut Petronius, defunctorie, vulgo, obiter, pro forma. pag. eadem. Si correctores isti viverent, nihil est, *quod e re illorum melius* optem, quam bonam mentem. Pro, nihil esset, quod magis eis optarem, magisque e re illorum fore ducerem. Melius e re alicujus, pro, utilius alicui, & novum & sordidum est. pag. 239. Virgo Maria *comparuit Deo* in templo, & puerum obtulit. Et hoc novum est: comparere alicui, pro, sistere se. Ibid. Quid *præposterius* judicio quorundam? Hoc nullo auctore dicitur. Ibid. Conatur verba Plinii cum *verbis Dei conciliare*, pro, in concordiam seu consensum redigere. Aliquem alicui conciliare, Latini

 di-

dicunt, non cum aliquo, neque inter ſe. pag. 240. Conſveta corporis *experimenta* intermiſit. Quis unquam experimentum, pro exercitatione dixit? pag. 182. Librum ejus non vidi, propter titulum, quo putat apud populares ſuos *vendibilem* mercem ſuam *extrudere*, cum me obtrectatorem nominis Italici vocat. Debuit dicere: vendibilem reddere. Venalem extrudere, rectum eſt, ſed aliam rem ſignificat. pag. 183. Non cõſtat omnino de illorum temporibus, a quibus, & per quæ regnarunt: *Saltem* Ptolomæi Philadelphi initium conſtat nobis. Saltem ponit pro tantummodo, cum Latinis ſignificet minimum, ſive ut Thuanum ſupra dicentem audivimus, ad minus. P. 225. Eum ad *diffamatorii* libri ſcriptionem ſubornarunt, pro criminoſi, ſicut

Hora-

Horatius, Criminosos jambos dicit. Icti. Famosum vocant. Et diffamare est argenteę ætatis vocabulum, aureæ, ut puto, ignotum. pag. 237. a Poetis ne juratis quidem *fidem exigendam* esse. Ridicule, pro Poetis ne juratis quidem habendam esse fidem. Ibidem. In Græcis citandis imperitissimum Hellenismi *profiteris*, quod sensum illius Proverbii petis ab historia Æliani, malum Criticum profiteris, pro declaras, demonstras, probas te malum Criticum & imperitum. Profiteri est aperte ferre. Ibidem. Per illum poteras *hoc labore defungi*, quibus verbis contrarium ei, quod vult, eloquitur. Vult autē dicere. Poteras hoc labore supersedere. Defungi labore est, elaborare, sive laborem ad finem usque perferre. Horatius. Defunctumque laboribus, æ-

quali recreat ſorte vicarius. Pedo in obitum Mœcænatis. Impiger Alcide, multo defuncte labore, id eſt,qui multos labores pertuliſti. p. 235. Ego *ſum auctor libri.* Et hoc novitii uſus nonnullis videtur. Auctorem libri, pro ſcriptore dicere. Conditorem, effectorem, architectum, molitorem, parentem, melius dici exiſtimant. Citatur quidem locus Ciceronis ex libro extremo tertio de Oratore: Satis ſignificavit Æſchines, quantum eſſet in actione, qui orationem eandem, aliam eſſe putaret, auctore mutato. Sed ib. Actore legendum eſſe tum ratio, tum librorũ veterum conſenſus poſtulat. Auctores quidem abſolute, item Auctores rerum dicuntur, & Auctores Latinitatis, ſed tum alia vocis notio eſt, quam cum auctor libri dicitur. V. Gr. teſtem,

ſtem, & quaſi ſponſorem rei geſtæ, adſtipulatorem, laudatorem, ſvaſorem, caput & primarium rei adjutorem ſignificat, cum auctoritatem merito quis in credendo aliquid faciendove ſequatur. Sic Cic. extrema Oratione pro Lege Manilia. ejus legis Auctorem vocat Servilium, ſe ipſum quoque pro domo. Indocte igitur Lambinus Manilium legis auctorem vocat, nam *is Lator* modo fuit. Auctores vero Cicero & reliqui, qui eam legem ſvaſerunt, & populo, ut imperium Pompejo committeret, auctores fuerunt. Exiſtimabit non nemo Livio Auctorem tabulæ alicujus, pro inventore, ſeu ſcriptore poni. cum lib. 3. ſcribit. notam judici fabulam petitor, quippe apud ipſum auctorem argumenti peragit. Sed nimirum hic quoque Auctor pro

Manilius Lator legis maniliæ. Cicero auctor

Impulſore, ſeu ſvaſore dicitur. Accuſator erat actor fabulæ, ac dicæ ſcriptor. Sed judex Appius erat auctor, qui Accuſatori, ut eam fabulam ageret, ſvaſor fuerat. Vellejus de Africano minore ſcribit: tam elegans liberalium ſtudiorum, omnisq; doctrinæ & auctor, & admirator fuit. Ubi Lipſius nimium laudari ſcriptorem putat, ſi dicatur auctor, itaque corrigendum cenſet: Fautor. Atqui recte dicitur Auctor, qui cum bellator eſſet, literis nihilominus auctoritatem daret. Ovidius quidem auctorem libri, aut carminis non ſemel dixit, ſed nimirum Latinitatis auro in argentum degenerante. pag. 233. Tantum Victorio *riſum tolles*, quantum mihi ſuſtuliſti. Idonei auctores dicunt. Riſum alicui movere, concitare, evocare, exprimere. Sed Novator *ille,*

ille, riſum alicui tollere, non ſine doctiſſimi cujusque riſu, finxit. Operæ pretium fuerit, qua id occaſione fecerit, cognoſcere. Catulli verſus ſunt de Nepote, qui avo jam ſeni, ac diviti natus eſt:

Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen teſtatas intulit in tabulas:
Impia gentilis deriſi gaudia tollens,
Suſcitat a cano Vulturium capite.

Ex quo intelligimus ſeni illi diviti fuiſſe gentilem, ſive agnatum, qui lætaretur ſpe propinquæ mortis agnati ſui, quod ei ſe ſucceſſurum, ſive hæredem fore ſperaret, adeoque capiti ejus velut vultur, triduo ante divinans, ubi eſurus ſit, imminebat. Hunc Gentilem derideri contingit, ejus gaudiũ

tollitur, ipse a capite senis suscitatur, seu summovetur, cum Senex Nepotem ex filia, nuper natum testamento heredem scribit. Hanc esse veram versuum istorum sententiam vix quisquam tam hebes & obtusus invenietur, quin clare perspiciat. Iste tamen *Criticorum Deus ter maximus*, (sic enim eũ homines stolidissimi vocare non dubitant) ineptissima, nec in ullo triviali litteratore ferenda interpretatione tenebras iisdem versibus offundere ausus est. Nimirum tollere gaudium Gentili natus nepos ideo dicitur, quoniam ei cum spei magnæ, tum natæ ex ea lætitiæ causam adfert. Spes autem ejus hæc est, fieri posse, ut ipse Nepotem expungat, & jure agnationis, tanquam proximus in vacuum veniat. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Docet

Burdo Scalig. stupor in versibus Catul. intelligendis.

cet

cet hoc amplius, Tollere gaudium, & tollere risum, nihil aliud significare, quam gaudii risusq; causam esse, quod quamvis compertissimæ sit stoliditatis, ipse tamen sic loqui non dubitat, & ejusdem generis loquendi sectatores invenit. Ejusdem est hoc in Animadv. Eusebianis pag. 40. b. Tityus *contemporaneus* fuit Tantalo. Vocabulum aliquo Claustrario, vel Actuario, quam literatore dignius. Cic. æqualem dicit. Propertius Æquivum. Ibidem pag. 148. b. *Consequentia* non procedit. pro, nequaquam id inde consequitur, vel efficitur, aut cogitur. Et pag. 176. Huic commento omnes Philologi fidem *adhibuerunt*, pro habuerunt, adjunxerunt. Fidem adhibere Plauto est, non credere, sed uti fide, sicut adhibere curam & diligentiam. Ejusdem

in Cir. Virgilii. Domitius ait, Ceratum flumen prope Cnoston. Id quidem ne nos quoque ignoramus. Sordida plane novitate, pro, quod quidem nec nos ignoramus.

Novitates Lipsii. Justus Lipsius plus, quam quisquam veterum, aut recentiorum in novando sibi indulsit, quoniam & meliorum investigandi, ac limæ scriptis adhibenda, aut styli vertendi laborem refugiebat, neque sibi, quomodocunque scripsisset, popularem plausum defuturum experimento jam facto cognoverat. Qui omnia nova ab eo dicta colligere volet, justum inde volumen expleverit. Ego pauca, quæ in Epistolarum ejus lectione, præteriens, ac pæne aliud agens observavi, speciminis causa hic repręsentabo. *Auctorem* libri, Orationis, Epistolæ, sæpissime dicit, quod quo-

quoniam & cum plerisque omnibus nostræ ac superioris ætatis scriptoribus commune est, ei proprie exprobrandum non videtur. *Septimanam* sæpius dicit, pro dierum hebdomade, sive, ut apud Cicer. in veteri libro optimæ notæ legitur, hebdomada. Hoc ita novum & barbarum est, ut vix in semidocto excusationem habeat, neque id Theodosii Imperatoris auctoritate defendi potest, qui Dominicam, septimanæ totius primum diem vocat Cod. Theod. 15. tit. 5. lege. 5. Septimanus enim, nomen Adjectivum est, eumque significat, qui est septimi ordinis, ut milites primani, secundani, quartani, septimani, undevicesimani, qui sunt legionis primæ, secundæ, quartæ, septimæ, undevicesimæ. Nonæ etiam septimanæ dicuntur, quæ in diem

diem mensis septimum incidunt, sicut Quintanæ, quæ in quintum, velut ex veteri Calendario rustico, & ex Censorino discimus. *Saltem*, pro tantummodo minime Latine dicit cent. 1. ep. 28. Fucos poetarum saltem tetigi. cent. 5. epist. 94. scribit: in supero illo *Consistorio* decretum, quod nobis fiat. Quid sit Consistorium, neque Cicero cum omnium veterum Romanorum corona tam intellexerit, quam quidam hodie Romæ, qui vix tria verba Latina intelligit, & Pontifice ad Purpuratorum Patrum Collegium referre parato, omnes spectatores hoc Carmine ex Senatu ejicit: *Extra omnes*. *Alias*, pro alioqui, vel etiam, pro aut ponere, ne illo quidem, qui sit de plebe literatorum, satis dignum videtur. Latinis enim significat idem, quod alio tem-

pore

pore aut loco : cum integra, regulisque artis congruens ſit oratio. *Ad alias res temporis vel loci.* Ubi res temporis eſt, idem quod tempus. Sicut apud Plautum. Res voluptatum, pro voluptas, apud Phœdrum, res cibi, pro cibus dicitur. Lipſius tamen Cent. 1. ep. 58. ita ſcribit: Alias quomodo effugimus, ut non auctor ille ſit mali? Salluſtius Catonem imitatus, *Aliter* dixiſſet. Cæſar, alia ratione. Et ep. 82. Ignoſcimus tyrocinio primi itineris tui, qui dignus alias eras acerbiori monitione. *Nullibi*, pro, nusquam, ab uno Vitruvio dictum, usque eo plebejum ſordidumque eſt, ut ejus vel lingvæ hujus tironem pudere debeat. Eo tamen uti nulla Lipſio fuit religio. Cent. 1. ep. 8. Clamores alibi & lites, pugna nullibi & arma. *Seducere* vulgo dicunt, pro, in erro-

errorem inducere, ad nequitiam abducere, corrumpere, vel etiam auferre, ut his verbis Cic. Ne te auferant aliorum consilia. Latinis vero notat, in locum ab arbitris remotum ducere, secreti colloquii causa. Plautus. eo nunc te secreto huc foras seduxi, ut tuam rem tecum loquerer. Et, me hodie senex seduxit solum seorsum ab ædibus. Hoc Terent. aliter prehendere dicit. Sed Lipsius haud pro solita sua elegantia vulgarem verbi usum protulit. Cent. 1. ep. 80. Vide ne abducat, & seducat te affectus. *Gratitudo* & *ingratitudo* sine controversia verba sunt, nemini veterum, ne Senecæ quidem in libris de Beneficiis, ubi maximus eorum usus erat, usurpata. nam Lemmata Val. Max. in quibus leguntur, nequaquam scriptoris sunt, sed Grammaticorum infimæ

mæ vetuſtatis. Latini Gratiam, Achariſtiam, gratam voluntatem, aut mentem, referendæ gratiæ voluntatem, ingratum animum dicere ſolent. Sed Lipſius ſordibus iſtis æquo animo abſtinere non poteſt. Cent. 4. ep. 2. & 11. *Ut quid*, pro quare, quod eſt cur, homini Latine docto vel vomitum excutere queat. Nam quod in Cir. Virgiliana legitur: Ut quod ego amens Te erepta o Britamarti meæ, ſpes una ſalutis. Te Britomarti diem potui producere vitæ? ne mihi paulum modo emunctioris naſi, dubium eſt mendoſe ſcriptum eſſe. pro, Ad quod ego amens, ſicut & in Epiſt. Cicer. ad Att. l. 7. & apud Livium l. 4. Lipſius tamen, ne ſcilicet nihil unquam in ſacris literis legiſſe videatur, eo non ſemel utitur. Exemplum habes Cent. 2. ep. 13. Ut

quod

quod desidet & cunctatur præter parentis mentem? Quo etiam loco legimus: de *abscessu* in Germaniam. Ubi discessum maluissem, & abscessum a nobis, recte dici non nego. Dissitus Latina vox est. valetque dispersus, diditus, diffusus, a dissero, quod est dissemino, sparsim sero. Lucr. l. 3, Cætera pars animæ per totum dissita corpus. Et lib. 4. Quæ in corpore toto, per membra, atque artus animi dissita vis est. Svevius apud Macrobium. Hoc genus arboris in præaltis finibus Graiis disseruere, novos fructus mortalibus dantes. pro, passim seruerunt, aut severunt. Asinus autem Apuleji longule *dissitus* dicit, cum quo multi hodie rudere, quam cum Tullio ejusque similibus loqui malunt. Tullii autem sunt isti: Tot res sunt dissipatæ, tam distanti-

bus

bus in locis positæ. Duo loca disjunctissima, maximeque diversa. Magno locorum intervallo a nobis disjunctus. Ex locis tam longinquis & diversis tu longe abes gentium. Civitas procul a conspectu tuo remota. Propertii. Quid si longinquos miles retineret ad Indos. Lucr. 2. Spatio diducta locorum. Hæc vero Lipsio sordent, præ Apulejano dissitus. Cent. 2. ep. 38. Etiamne ex dissitis illis locis auræ ad me benevolentiæ ? Et Cent. 4. ep. 30. Svave in dissitis illis locis, me aut mea nosci. *Juramentum* sine dubio barbare dicitur pro, sacramentum, aut jusjurandum. Lipsius eo utitur Cent. 8. epist. 44. forte satis ei idoneus auctor visus est Burdoscal. cujus in Cir. Virgil. verba sunt. Per lumina: videtur juramentum Creticum,

etiam Attici mulieribus familiare. Idem ſcribit Cent. 1. ep. 27. Sedes in Batavis ponam, ſed *temporaneas*, non perpetuas. Temporarius quidem apud Curtium. l. 4. & Temporalis apud quosdam, etſi non optimos ſcriptores invenitur. Seneca ep. 9. ſua ætate vocem Temporarius vulgo in ore fuiſſe teſtis eſt. Cum videlicet temporarias amicitias vocabant, tempori proſpero ſervientes: ſicut Nepos in Attici vita, Temporariam liberalitatem vocat, quæ illis tantum benefacit, qui fortuna utuntur propitia. Quo ſenſu Curtius lib. 8. Temporaria Græcorum ingenia dixit, id eſt, inſtabilia, temporibus ſervientia, quomodo & hominem temporum. lib. 5. Medates haud ſane temporum homo, quique ultima pro fide experiri decreverat.

verat. Apul. autem l. 7. Temporariam ſedem eodem, quo Lipſius ſenſu, latinius tamen dicit. & Floridorum 2. Natura brevem & temporarium cantum avibus commodavit. Quis veterum Temporaneus dixerit, adhuc neſcio. Cent. 4. ep. 24. Per has literas te alloqvor, quoniam *ore ad os* non licet. Hæc ſermonis lavtitia magnum habet auctorem, Divum Johannem Evangeliſtam & Apoſt. quem tamen tam locupletem, & idoneum Lipſio viſum eſſe, pæne inter monſtra quis numeraverit. Pro ſororis filia, *neptem ex* ſorore, ſimiliterque fratris aut ſororis filium Nepotem dici, nemo Latinorum aureæ illius ætatis æquo animo tulerit. Lipſius barbarorum conſvetudinem ſecutus id auſus eſt. Cent. 5. epiſt. 95. Iure pro illo laboro, quia neptem meam ex

ſoro-

ſorore uxorem habet, & ejus liberi inter hæredes meos erunt. Et Cent. 6. ep. 54. Patrui memoria, nepoti gratiam aliquam conciliet. Quod me judice Livianæ epitomes & Naſonis auctoritate fruſtra quis tueri conetur. *Ditio* Latinis Imperium, Jurisdictionem, aut poteſtatem ſignificat, non provinciam, aut regionem, aut terræ ſolive partem quantamcunque poteſtati alicujus ſubjectam, quomodo indocti uſurpant. Parum ergo Lipſio dignum eſt, quod Cent. 4. ep. 2. In ditione Leodicenſi diutius ſubſiſtam. Cent. 1. ep. 28. Aut mutatio, aut *interitio* rerum. Et epiſt. 89. Aſſidua illa *Convictio* & Contubernium non ex uſu juventutis. Et Cent. 6. ep. 50. Utinam fas ludis veſtris intereſſe? Sed locorum *abjunctio* vetat. In quibus omnibus

κακο-

κακοζηλίαν & novandi ſtudium animadvertas. Alius nihilo ſaltem deterius dixiſſet. Interitus, convictus, & diſtantia, aut magnum, quo disjuncti ſumus, locorum intervallum. Sed Lipſius nihil prope lautum putat, quod & alius dixiſſet. Putares eum in utrumvis oculum, quam in utramvis aurem dormire velle, quoniam id ſc. minus pervulgatum eſt. *Pertingere* quidam cum Plinio majore dicunt, pro, pertinere, quod Tullius frequentat. Ut, aſpera arteria ad pulmones usque pertinet. Viæ, quæ pertinent ad jecur, eique adhærent. Livius, atque adeo & ipſe Cic. Contingere eodem ſenſu dicunt. Lipſius in notione paululum diverſa, Pertingere nullo ſatis certo auctore uſurpat. Cent. 4. ep. 5. Vita directa ad pietatem & ſalutem, ad quam

niſi

nisi pertingimus, male & infeliciter decurrimus hoc, quidquid est vitæ. Et Cent. 5. ep. 93. Ad terminos illos ævi pervenit, quo pauci omnino pertingunt. Quomodo & 4. Polit. extremo cap. 11. *Ubi* leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam assuere. Quo loco etiam ubi, pro quo, imperitius dixit. Ciceronis est. Cyrus ad 70. annos pervenit. Et omnes aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non possis. Pertingere apud Sallustium in Jugurthina semel legitur. Collis in immensum pertingens. Sed ego Sallustium pertinens scripsisse planissime mihi persvadeo, sicut eundem alio loco scripsisse video: Unde pons in oppidum pertinens explicatur. Cent. 6. ep. 40. Hic, qui istas defert, meus *Amanuensis* est. hominem aut puerum a manibus

bus dicebant Veteres. Æneæ, ni fallor, ætatis ſcriptores Amanuenſem invenerunt. *Aſſerere* Veteres dicebant, pro præſtare, ſeu fidem ſuam in rem aliquam obligare. vulgo hodie, manntenere. Ita quem quis liberali cauſa, manu aſſerebat, eum liberum, non ſervum eſſe præſtabat, ac revera manutenebat. Manu ſc. capiti ejus impoſita hoc utebantur carmine, ſeu verborum formula: Hunc ego hominem jure Quiritium ajo liberum eſſe oportere. Similiter qui rem quampiam vendit, eam bonam & ſine vitio eſſe aſſerit, la mantiene buona, ut Itali hodie loquuntur. Atque hoc ſenſu a Cic. 3. offic. uſurpatur in iis quidem editionibus, quas inſpexerat Nizolius. Sed Robertus Stephanus verba hæc, *ut ipſi aſſerunt*, in quibusdam libris non

exſtare teſtatur. In Lambini quidem editione non comparent. Poſteriores autem aſſerere, pro dicere, affirmare, ponere cœperunt, ut in vetuſtioribus, quamvis raro, in Symmacho, cæteriſque Theodoſiani ævi auctoribus frequenter videmus. Juſt. l. 38. Romam mittit, qui Senatui aſſereret puerum illum ex Ariarathe genitum. Seneca quidem Rhetor, pro contendere, omni aſſeveratione confirmare, ac velut fidem ſuam interponere uſurpat lib. 4. Contro. 1. Hunc colorem Gallio non probabat, aſſerens contra Metellum agendum ita, ut rogetur. Curtius lib. 8. pro vindicare, vel adſciſcere eo utitur. Jupiter, quem ſibi patrem Alexander aſſereret. Et Seneca. Hæc non nego ſentire ſapientem, nec enim lapidis illi duritiem ferrive aſ-

ſerimus, id eſt, tribuimus, adſcribimus, vindicamus. Lipſius minime diligentem ſe Latinitatis cuſtodem hic quoque prębuit, cum aſſerere novitia & nequiore, ac hodie vulgo trita ſignificatione dixit Cent. 6. ep. 16. Dio aſſerit, aliter vixiſſe Senecam, quam ſcripſerit. *Circumſtantias* rerum, quas Cic. attributiones, res attributas, res circumſtantes, Agellius rerum apendices vocat, niſi nova pluſculum probaſſet, nequaquam dixiſſet Lipſius Cent. 1. ep. 61. ubi & hanc mirę novitatis phraſin lego. *Lenocinia circumponimus dolori.* Et mox: ut *pulchrior in oculis appareat.* Lenocinium facere, lenocinio ſe dedere, lenocinio ſe ſuſtentare, quid horum unumquodvis ſit, ſatis ſcio. Quo autem pacto Lenocinium alteri rei circumponi poſſit, neque Lipſium ſcire

arbitror. Videlicet in Senecæ l. 5. Controv. 6. legerat: Adolescens muliebrem vestem sumpsit, capillos in fæminæ habitum composuit, oculos puellari lenocinio circumdedit. Ubi Johannes Isacius in veteri libro non circumdedit, sed circumtulit, perspicue scriptum invenit, quod etsi non esset, non idem tamen in dolore, qui in oculis, lenocinii locus foret, pro quo cum Livio, delinimentum dici præstat, quo & Seneca sic utitur: Delinimenta podagræ compono. In oculis apparere, haud scio, an alium, quam sacrarum literarum interpretem auctorem habeat. Par lepor in hac Cent. 1. ep. 36. *Diu mihi nullum alloquium apud te.* Subaudiendum est, fuit. Elegantissime, si superis placet, udorem posthac potius, quam cum Cicerone, cæterisque Veterum.

humo-

humorem, aut cum Sallustio, madorem dicemus, si Lipsium imitari animum inducimus. Is Cent. 1. ep. 40. scribit. Cistæ tuæ ad me prolatæ sunt, bene madidæ. Itaq; vereor, si quid in iis sit, quod periclitetur, *ab udore*, ne putrescat. Cent. 7. ep. 80. Momus in fabrica humani corporis *requirebat*, fenestras non esse. Hoc & nove, neque sine magna ineptia dictum videtur. Rectum erat: Momus fenestras requirebat. Novum & hoc in eadem Epist. ubi se, cur Epistolas nondum edat, amico purgat. Sunt mihi *adspectus*, vel metus certi, quos haud facile etiam pello. Adspectus sc. ei sunt, qui vulgo respectus, quorum neutrum altero melius. Etsi respectum hac ratione ab ænea ætate dici solitum non ignoro. Cent. 1. ep. 1. Tot protela admonitionum

tuarum nondum effecere, ut vel manum admoverim commentario Corneliano. Nimirum protela, pro stimulo posuit, a maximo nugatore Nonio in errorem inductus. Scripserat Varro : Remotissimum ad discendum formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi. Contra, delectatio pro telo ad discendum, id est, loco teli, instar teli, quod valet instrumenti, vel adjumenti. Nam & ita Cic. de amicitia. Non mediocre telũ ad res gerendas existimare oportet benevolentiam Civium. Et Poeta versu trochaico apud Cicer. 7. famil. epist. 16. Usquequoque sapere oportet, id erit telum acerrimum, id est, efficacissimum rei bene gerendæ adjumentum. Et Livius lib. 4. Hosti virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum te-

telum, ſuperiores eſtis. Similiter lib. 3. Ea lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum eſt, id eſt, adjumentum efficiendi, quod tribuni rogarent. Eodem libro. Juventus quoque, quæ inter tales metus detrectationem militiæ, telum accerrimum adverſus patres habere ſolita erat, bellum & arma ſpectabat, id eſt, quæ inſtante ab hoſtibus metu detrectabat militiam, eoque velut efficaciſſimo utebatur inſtrumento, aliquid patribus extorquendi. Nonius duo verba pro telo, unum fecit, inde natum Lipſio illud, protela admonitionum. Eadem Centuria 1. ep. 3. Ecquid tinniunt tibi aures? ita multus non in ſermonibus meis ſolum es, *ſed in literis ad amicos*. Hoc & novum eſt, & Latini ſermonis idiomati repugnat. Multus in

literis dicitur, qui multum ſtudet, non de quo multum ſcribitur, ut multus in opere apud Salluſtium, qui multum opus facit. Et ep. 8. Irrumpent ecce Salutatores, *inviſores*. Sic Cent. 4. ep. 83. Te amicum meum, & crebrum inviſorem eſſe. Novum eſt Inviſorem dici, qui alterum inviſit. Melius Apulejus ita vocavit oſorem, in primo Florid. Si quis forte in hoc coetu ex illis inviſoribus meis malignus ſedet. Cent. 1. ep. 8. Flumina per ſe dulcia, cum in mare venerint, *ſaleſcunt*. Non improbo verbi fictionem, a quocunquo tandem ſit. Et mox, Ad cantum avium non *æquiparent* ſe tibiæ. Ennius & Virgil. Æquiparare aliquem dicunt, non ſe ad aliquem. Cic. æquare aliquem, & aliquid cum aliquo. Iſtos ſequi malo, quam Plautum, cujus hoc eſt in

Milite.

Milite: Mars non ausit hiscere, neque æquiparare suas virtutes ad tuas. Et ep. 22. Sigonii & Mureti, non auditum verbum *magno emerim, sed visum.* Hoc eum dicere, eique nos credere par est, qui & surdus & cœcus sit. Huic enim merito cujuscunque hominis auditus & visus magno ematur. Si dixisset Lipsius: Quos ego non auditos solum magno emerim, sed etiam vivos, neque ridiculus in verbis fuisset, & hoc Virgilianum imitatus videretur:

Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta. ———

Ejusdem Centur. exempla ultima: *Vereor ut suppeditet* me tam pertinax luctator. Novum, ni fallor, est, quamvis haud intelegans, suppeditare, pro pedes alteri in lucta subjicere, eoque modo humi affligere, quod Ci-

ceroni & aliis eſt, ſupplantare, Curtio arietare lib. 9. quem occupatum complexu, pedibus repente ſubductis, Dioxippus arietavit in terram. Sed vereor, ut me ſuppeditet, pro, ne ſuppeditet, non eſt latinę conſvetudinis. Cent. 2. epiſt. 34. Neminem contumacia, aut *loquentia* irritabis. Hoc in Salluſt. ſupra notavi. ep. 41. Quid agas, fac me ſcitiorē, quo exemplo, & Cent. 3. ep. 26. de reditu tuo fac *me ſcitiorem*. Ridicula prorſus novitas. Scientem Plauti & Terentii exemplo, vel ſcientiorem melius dixiſſet. Nam ſcitus eſt, quo ſcitur, aut ſciſcitur. Sed Lipſius nimis vulgare negotium, neque niſi Tullianis iſtis pueris dignum credidit: fac me certiorem. Cent. 3. ep. 2. Sæpiſſime e *pectore* dici. Cent. 4. ep. 68. *Ex corde*, modicum aliquid malis-

luiſſem, pro, vere, ſerio. Et ep. 46. Salve ex animo. Et ep.73. Eum ſaluta, & tu corde ſalve. Et ep. 41. Si ſcribis illi, corde a me ſaluta. Tantum mihi neque pectoris, neque cordis, neque animi eſt, ut hoc exemplum loquar, aut ſcribam: etſi me haud quaquam illud Plauti fugit, Capt. Act. 2. Scen. 3. Videas corde amare inter te. Et hoc Truc. act.1. Sc.2. Neminem mage amat corde atque animo ſuo. Sed neque os meum illius in hoc ſimile velim,quod Cent.4.ep.75. legitur. *Gratias ore tibi dico,* pro, bello carmine. Niſi autem omnia me fallunt, Paulus Feſti admutilator,os Lipſio ſublevit, qui hæc Catonis verba refert: ſunt multi, corde quos non miſeret neminis: cum ex Feſto conſtet,poetæ veteris in Erechteo fuiſſe verſum: Lapideo

ſunt corde multi, quos non miſeret neminis. Cent. 3. ep. 16. de me dixerim, in *adſpectu ſanum*, aut medium in re non eſſe. Pro revera me neque ſanum, neque medium eſſe. quod tamen primo adſpectu videar. Hyginus quidẽ in Aſtron. Mercurii ſtellam in adſpectu non magnam dicit. Sed Cicero 7. Philippica. Specie conſuli re & veritate nobis. Livius l. 3. Agunt cum Terentello Tribuno, dilataque in ſpecie actione, re ipſa ſublata, conſules extemplo accerſiti. Medium, pro dubiæ, aut ambiguæ valetudinis poni non impedio, quamvis legiſſe non videar. Cent. 4. ep. 54. Num in *imagine* te vidi, an non *in re* aliquando & veritate. Vulgare videl. ei viſum fuit; Nunc imaginem tuam vidi, an non aliquando te ipſum. Et epiſt. 11. Vel *in caſum dare* literas, malui, quam

quam me in ſilentii culpam. Genus id, in caſum dare, Tacitum habet auctorem, mihi non ſatis idoneum. Sed quis unquam dixerit, *dare ſe in culpam*? fruſtra fortaſſis quæſiero: quod & vereor de *conſilio in rem dando*, pro, re exſequenda, ut Liv. l. 36. n. 43. loquitur; aut ad rem conferendo. Cent. 8. ep. 48. Habes conſilii mei ſummam, ſed quando in rem dandi? Cent 4. ep. ultima. Sæpius tuas accepi, nec meas *reddidi*, pro, reſcripſi. Latinorum idioma eſt, reddere epiſtolam, pro ei dare, cui ſcripta eſt. Et mox infra. *Electum ad dignitatem* quem dicis, averſa aure boni audiunt, etſi mutandum eum aliqui optant. Neutrum ſatis Latine, neque eligi ad dignitatem, neque *opto illum optandum*. Et ep. 89. Ego virum hunc faveo Romæ, & pæne invideo. Qværo, quis fave-

ſavere aliquem alicui, pro gratulari dixerit. ep. 79. *Invalentia* mea cauſam ſuſtineat. Sic cum Agellio novatore non magni pretii, quam cum Cicerone, invalitudo dicere maluit. Et ep. 93. In *circumſtantia* amicorum, pro in corona amicorum, vel circumſtantibus amicis, ejusdem Agellii auctoritate, apud quem lib. 3. cap. 7. legendum puto: Oſtendit exitium de loci importunitate, & hoſtium circumſtantia matrum. Cenſeo, inquit, &c. Ubi maturus, propinquus, & imminens. Cic. Edidit hæc Colchas, quæ jam matura videtis. Livius. Ea res maturam jam ſeditionem ac prope erumpentem repreſſit. Cent. 7. ep. 86. Æquitas ipſa ſi judicet, *ſententiam a me donet*. Idioma Latinum eſſe ſcio, ferre, dicere, pronuntiare ſententiam. Donare

autem

autem ſententiam, eodem ipſo, quo Virgo Plautina loco, natum arbitror in culina ſc. in angulo ad lævam manum. Cent. 4. ep. 83. *Simul ille mihi tetigit de iſto heroe, ejusque animo, ſcripſi ſtatim.* Et hoc novum eſt. Ille mihi tetigit de illo, pro, ſcripſit. Nam Latini de nuncio tantum tangendi, aut attingendi verbo utuntur. Plautus Bacchid. act. 2. ſc. 2. Sed tu quod factitaſti mandatis ſuper? Pi. Egon' ut, quod ab illo attigiſſet nuncius, non impetratum id advenienti redderem? pro, propter quod, ſive, cujus cauſa illius nuncius ad me perveniſſet. Eadem fabula eſt act. 3. ſc. 5. Illud animus meus miratur, ſi a me tetigit nuncius, quod remoratur, pro, ſi meus nuncius illum offendit. Incertus Poeta verſu trochaico. Poſteaquam abs te, Agamemno, ut veni-

venirem, tetigit nuncius, quo versu Cic. 13. ad Attic. ep. 45. per Parodiam utitur. Ubi tamen vocabulum aures, ab iis insertum videmus, qui tetigit ita solum poni, insolens putabant. Varro apud Nonium in Curriculo. Quem simulac Romam venissem, mihi attigit aures nuncius exemplo eas, in curriculum contuli propere pedes. Lego: quem, simulac Romam venisse attigit Nuncius, extemplo meos in curriculum contuli propere pedes, id est, quem simulac Romam venisse renuntiatum est, nec enim dubitaverit, qui Varronis novit ingenium, quin is Plautum imitari voluerit. Lipsius autem nullo auctore, *Tetigit mihi*, pro literis me certiorem fecit, pro solenni sua novandi licentia posuit, eo ipso hominis inconspecti nomen meritus: quo ipse

ipſe nomine Dialogiſtam ſuum in Politicis notis, non ſine paſtoritia doctiſſimi cujusque fiſtula appellat: quarum notarum l. 3. c. 8. nove dixit, honorare & *præmiari* Conſiliarium, pro, præmiis afficere. Atque hinc judicari poteſt, quam vere de ſe gloriatus fuerit Cent. 4. ep. 68. *Sine ſuperbia* dicam, a primis annis ſtudiũ mihi & ſucceſſus fuit pariter & venuſte ſcribere, priſcos imitari, qui in hoc genere regnaſſent. De ſtudio nihil decerno. De ſucceſſu, haud vidi magis, niſi tamen ferreæ quoque ætatis ſcriptores in hoc genere regnaſſe, & imitatione dignos eſſe cenſuit, ſicut cenſuiſſe eum, vel illud arguit, quod Polit. l. 4. c. 2. unam religionem unionis auctorem vocat, unitatem, conſenſum, & conſpirationem animorum a religione

Lipſii Φιλαυτία.

gione effici ſignificans, cum unio Latinis non aliud ſit, quam margarita. Hieronymus tamen ſatis locuples auctor Lipſio viſus eſt, qui lib. 1. contra Jovin. ſcribit: Non eſt bonus duplex numerus, qui ab unione dividit.

Novitates Caſauboni. Nove a Caſaubono dictorum hoc eſto ſpecimen. In contraſcripto, quod Angliæ Regis juſſu adverſus incomparabilem heroa Card. Perronium edidit, lego *Impræſentiarum*, pro inpræſentia, quod quam barbarum ſit, ſupra demonſtravi. Item *complices Conjurationis*, pro affines, participes, conſcii, ſocii. Salluſtio, populares, Tertull. partiarii. Et *Conſequentias elicere*, pro cogere, efficere, concludere. Et *Carentia*, pro detractione, ſive quod veteribus in uſu fuiſſe, auctor eſt Seneca, *de orbatione*: & in *ditione* aliqua degere, pro in regione aut provin-

vincia, aut ditionis ſolo. Et *rebus ſic ſtantibus*, pro, his rebus, quomodo nunc eſt. Et *tenetur nuptias cogitare*, quod barbari genus unum hodie omnibus eſt familiariſſimum. Ita ut etiam mihi in iis libris eo uti nulla fuerit religio, quos alienæ potius utilitati, quam gloriæ meæ ſcripſi. Neque tamen ſuppetit nulla ejus generis tuendi ratio. Dicemus nimirum, verbum *lege* ſubaudiri, ut ſit: Nulla lege teneor hoc facere, vel ad hoc faciendum, quemadmodum alligandi verbo Seneca utitur: Nulla lex jubet amicorum ſecreta non eloqui, nulla lex etiam fidem etiam inimico præſtare: quæ lex nos alligat ad id præſtandum, quod alicui promiſimus? Si ergo recte dico, nulla lex me ad faciendum alligat, nihilo deterius dixero: nulla lege alligor, vel teneor ad faci-

faciendum. Huic tamen rationi nulla suffragatur auctoritas. Tullii est in Tropicis, non debebit præstare, quod fornex vitii fecerit. Et quid alterum alteri præstare oporteret. Asconius in 3. Verrinn: Ad hoc adstrictus redemptor populo tenetur, ut optima conditione, quod vult, de redemptione sua agat. Rursus Cic. Id habet operis ac muneris, ut hoc nobis efficiat. Munus meum hoc non est. cum meæ partes sint hospitum recipiendorum. Principum munus est, resistere levitati populari. In quibus omnibus verbo teneri vulgo uterentur. In Theophrasti characteribus, non semel *pecuniam mutuo rogare* dicit, pro mutuam, quod tamen non æque barbarum est, atque hoc Jacobi Pon- *Pontanus.* tani Jesuitæ in Progymnasmatis: Da mihi mutuo tuum cala-

lamum, pro commoda, da utendum. Dare mutuo, eſt alternis dare & accipere, quod faciunt, qui pila datatim ludunt. Nummi dantur mutui, non mutuo, & mutuum proprie in illis dicitur, quæ redduntur non eadem ſpecie, ſed eadem quantitate, ut numero, menſura, pondere. Aſconius tamen alicubi ſcribit: licuiſſe ædilibus ſigna mutua Romam deportare ex Provinciis, & rurſum ſociis reportare. alio autem loco, Romanos ſignis & tabulis pictis e Græcia commodatis uſos. Sed hoc non magis me movet, quam verbum, *vicequæſtura*, & alia nihilo meliora, quæ politiſſimo ſcriptori, a mala aliqua ſcioli manu acceſſiſſe, nullum doctis & emunctæ naris lectoribus dubium eſſe poteſt. In præfatione comment. in Athenæum ſcri-

bit

Casaubon. bit ad Regem Galliæ Casaubonus: *Tuorum subditorum* fortunę. Novum est autem subditos alicujus, pro alicui, & tuos pro tibi dicere, quos boni auctores, subjectos, aut parentes, prima syllaba producta, aut, alicui subditos appellant. Sallustius: Parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam haud satis fuit. Seneca. Sequi parentis est, regere imperantis. Ciceroniane eos subjectos, vectigales, clientes dixeris, aut pluribus etiam verbis hoc modo circumscripseris. ii, qui in imperio, in potestate, in ditione, sub regno alicujus sunt, quibus quis præest, qui alicujus imperio tenentur. Possevinus imperite Principes Imperii regibus multis pares, & uno verbo Reges Cæsaris servos vocat, cum alibi, tum pag. 741. ubi Galliæ Re-

gis

gis æmulatione Carolum Imperatorem ſcribit impeditum, ne contra ſervos ſuos ultionem exequeretur. In eadem Caſauboni præfatione eſt: Te unum a multis *retro* ſeculis exſtitiſſe, qui belli munia & pacis artes coleret. Ubi vox *retro* nove, & contra quam bonorum ætatum auctores ſolent, uſurpatur. Et infra. Tuas laudes tacere malo, quam *attaminare*. Puto vocem hanc citius in ſemidocti alicujus Grammatici Gloſſario, quam in claſſicis auctoribus inveniri. In ipſo Comment. p.2. *auctorem* libri dicit, de quo jam a nobis actum eſt. pag. 18. 22. & 141. Errant, *inobſervantia* hujus rei, pro, inconſiderantia, indiligentia, incuria, neglecta, aut negligentia. pag. 23. *Riſum alicujus tollere*, & dictis urbanorum hominum facere ſe obnoxium. & p. 116. Hippocratis

cratis Scholis *proverbium sustulit.* Utrumque quam non modo nove, sed & stolide dicatur adversus Burdoscaliger: ejus generis patrem & auctorem satis luculente demonstravi. Eadem pag. 23. *Defœdam* Venerem, & pag. 26. & 90. turpem & defœdum morem lego, neque ex quo fimeto vocem tam fœdam, ut mihi quidem videtur, eruerit, suspicari queo. pag. 26. *Conciliare duas* lectiones, quod & ipsum in Burdone jam notavi. pag. 36. *Minat* gregem, quocumque lubet, pro, agit, ducit. Verbum Apuleji asino satis dignum, a quo etiam *incoram*, pro coram didicit. p. 62. libros *manuales* pag. 45. pro manuscriptis satis inepte dicit Turnebi imitatione. *Dictionem* pro voce, aut vocabulo frequenter usurpat, ut pag. 627. Discrimen est inter has dictiones,

nes, & pag. 619. Multum ſibi in barbaris dictionibus permiſerunt Græci. Sed Latinis Dictio eſt, quod Græcis Φράσις, aliter etiam Elocutio, & Stilus, omninoque actionem dicentis notat. Cicer. Si res inciderit, quæ dictione ſit explicanda, id eſt, oratione. Et totam cauſæ meæ dictionem in certas partes dividam. Terentius. Servo non eſt teſtimonii dictio, id eſt, non habet ſervus poteſtatem dicendi teſtimonii. Paccuvius, Accius, eosque ſecutus Livius, dictionem pro oraculo Apollinis uſurpant, ſicut & fatum a fando ſeu dicendo. pag. 142. *Verſum antepenultimum*, & p. 578. *penultimum* dicit. utrumque barbare. Cic. Hos cum in clauſulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo, adjungo, quod maximum ſit, proximum ſuperiorem, ſæpe etiam

tertium, pro, loquor etiam de penultimo, & antepenultimo. Idem etiam a poſtremo, proximum, pro penultimo dicit. pag. 144. Cibi aliis indicti, & *innominati*. Aut fallor, aut indictus eſt, ac porro erit idoneus auctor, qui verbum Innominatus protulerit. p. 148. Athenæi error eſt *memorialis*. Nimis nove hoc quoque. Cicer. Vacillare memoriola γεροντικώτερον eſt. Plautine dixiſſet. Athenæum fugit memoria. p. 160. Invenio Livianæ epitomæ vocem *multoties*, pro ſæpe, vix in foſſore ullo, aut Caprimulgo ferendam. pag. 252. Hi verſus *mutile* editi erant, pro mutilate. p. 272. Qui parum ſe viderentur exercuiſſe, aut *alias* eſſent inepti. Ubi nove & barbare *alias*, pro alioqui ponitur, velut ſupra diſputavi. p. 274. Oculorum *invalentiam* ſimula-

mulare, pro, invaletudinem. pag. 289. Ariſtot. *judicioſiſſimus* mortalium, pro, acerrimi inter mortales judicii. pag. 379. *balbutie* laborare, pro, balbum, aut blæſum eſſe. p. 382. Nulli Africæ monſtro, de *monſtruoſitate* conceſſerit. Utrumque, & monſtruoſus & monſtruoſitas barbarum eſt. p. 443. *Circumſtantiam* temporis dicit, non ſatis, ut jam docui, latine. Cic. ſæpe fit, ut quæ alioqui honeſta ſunt, ratione temporum fiant inhoneſta. Alius diceret, pro *Circumſtantia* temporis. Seneca in primo de Clem. Sæpe virtuti Clementia ſuccurrit, quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ poſſint laudata puniri. vulgo dicerent, pro Circumſtantiis. pag. 186. Numquam Comicus Græcus Tragicorum poetarum verba ſeſquipedalia

subsannat, quin *ampullas projiciat.* In quibus verbis, præter barbarum illud subsannare, flagitiosam, ac vel infimo literatori fœdissimam novitatem noto. Putat Casaubonus, projicere ampullas, idem significare, quod uti ampullis, sive grandibus tragicisque verbis, cum revera significet non uti, sed ea missa facere, abjicere, seu contemnere. Eadem illi, quæ vulgo erroris causa fuit, non intellectus Horatii locus:

Casauboni stupor in verbis Horatii.

Versibus exponi Tragicis, usq;
Si curat cor spectantis.

Hi versus hoc habent argumenti. Custodiendum esse decorum, ut in comœdia abstineat Poeta grandibus, & Tragicis verbis, in Tragœdia vero humilibus & Comicis: fieri tamen, ut & Comicæ personæ elatioribus utantur verbis, cum sc. irati expostulant, & Tragi-

cæ

cæ humilibus, cum dolenter conqueruntur. Nam si Telephus & Peleus Tragicæ personæ egentes, exulesque inducantur, necesse eos habere projicere sesquipedalia verba, hoc est, non elate, sed demisse humiliterque loqui, si commiserationem in animis spectatorum commovere studeant. Projicit ergo verba, non significat, affert, aut pronunciat; sed omittit, aut repudiat, ac velut contemnit pro nihilo. Cic. Phil. 13. Ne pro his libertatem, sed pro libertate hæc projicias, id est, abjudices, ac rejicias, asperneris. Catullus. Si lingvam clauso tenes in ore, Fructus projicies amoris omnes. Verbosa Venus gaudet loquela, id est, vilis, ac prope nullus erit amoris tui fructus, si dum amaveris, neque amicum feceris conscium. Idem. Ipse suum The-

ſeus pro caris corpus Athenis projicere optavit potius. pro, nihili facere & contemnere. Seneca 2. de Ira. 21. Non pro faſtigio tuo te metiris, ipſe te projicis, id eſt, vilem facis, & abjectum. Et hæc de Caſaubono hactenus.

Novitates Thuani. Thuani hiſtoria neque ipſa νεωτερισμῶν non eſt pleniſſima. V. Gr. *Alias*, pro alioqui. Noſtra eſt *retro* ſæculorum memoria. Juxta veterem ſententiam. *Multoties, Gratitudo, Ingratitudo, In ditione* Epiſcopi, ſubditi *alicujus*. *Tenetur* revocare ſententiam viginti *ad minus* dies. *Impræſentiarum*. *Nullatenus* ea de re actum eſſe, pro omnino non, aut nihil penitus. quæ quam ſint lutulenta, ſupra demonſtravimus. Sunt & iſta nove ab eo dicta. *Pejerare in Deum, Impares contra tantam multitudinem*. Vir *nupſit puellæ*. pro, uxorem

rem duxit puellam, cum tamen amiculus ejus Jos. Burdosc. nuptos viros ita detestatus fuerit. Apage, apage, viros nuptos. Hic in Gallia viri non nubunt, sed fœminæ. Literas quibus fides alicui fit, sive testimonium præbetur, quas prisci auctoritates, vulgo literas credentiales vocant, Thuanus Sleidanum secutus, insulsissime *Fiduciarias* vocat, cujus sordibus accenseas licet: *Caligæ* pro femoralibus. *Morosa* tergiversatio, quod moram afferat. Obiter notandum, *Improperare* alicui, pro exprobrare, vitio vertere, ingerere, executioni demandare. *Concivis*, pro civis aut popularis. *Dejeramenta* in Deum, pro, diræ, aut blasphemiæ. *Injuriæ memoriam ad animum revocare*. Ridicule. Juris Consulti injuriam revocare ad animum habent, non memoriam inju-

riæ. Æque ridiculum est hoc: *asseveranter* negare. Perinde enim valet, asseveranter, atque affirmative, quod vulgo dicunt. Sordide hæc quoque. *Ad mortem damnare* aliquem, pro capitis condemnare. Ne ipsorum dignitati tractu temporis præjudicetur, distributo *unicuique* viritim aureo, ubi τὸ unicuique missum fieri debuit, tametsi simillime Seneca 3. de Ira 2. dicat. Ambitio viritim singulos occupat. Est etiam Thuani, *Gratiam alicujus demereri*, pro aliquem demereri. *diétim*, pro in singulos dies. *Brumoso* aere, pro hiberno, aut brumali. *Ultroneus*, & *Spontaneus*, pro voluntarius. *Mercimonium*, pro mercatu, cum mercem significet. *singulis quatuor mensibus* stipendium militibus dependit, pro quarto quoque mense. Vel potius, quot quadrimestribus,

sicut

ſicut, quot annis, quot Calendis, ubi ſubauditur verbum ſunt. Integra enim oratio eſt. Siculi qvotquot annis tributa conferunt, ſive tot annis, quot ſunt tributa conferunt, pro quo Cic. ἐλλειπτικῶς: Siculi quotannis conferût. Plautus Stich. Meminiſtis quot Calendis petere deméſum cibum, pro tot Calendis, quotſunt, petitis cibum, id eſt, omnibus vel ſingulis Calendis. Horat. Nõ ſi trecenis, quotquot erint dies, Plutoni tauros immoles. Recte Muretus eum notat, qui dixerat: ſingulis quinque annis. Singuli enim eſſe neqveunt, qui ſunt quinque: cum ſinguli voce Unitas ſeu μόνας ſignificetur. Cic. ſæpe ſingulis utendum eſt, plerumque binis, non fere ternis amplius. Vix ſingulis ætatibus ſinguli, vel bini Oratores tolerabiles inventi ſunt. Cæſar

Tarenti, Brundusii, Siponti, singulas legiones posuit, id est, in unaquaque trium Civitatum unam legionem. Binos aureos singulis distribuit, id est, unicuique duos. Plautus. Indies qui singulas escas edunt, id est, qui quotidie semel tantum cibum capiunt. Idem Cistellar. act. 4. Sc. 2. Singulûm video vestigium, pro, singulorum. Varro, nesciebamus semel unum singulum esse. Livius, ex singulo ligno scapham dixit, pro quo Polybius μονόξυλον πλοῖον. Falsum proinde est, quod Priscianus veteres negat in unitatis numero singulum dixisse. Agellius l. 18. c. 13. Numo singulo mulctabatur. Et lib. 19. c. 8. Singulum & plurativum numerum dicit, pro, singulari & plurali. Fugit tamen Muretum ratio, cum pro singulis quinque annis dicendum putat, qvinto quoque

anno. Nec enim eadẽ utriusque dicti est sententia. Si quid enim fiat, quod qvinquenniis, seu singulis quinquenniis semel, nihil necesse est id quincto semper anno fieri, cum etiam primo, secundo, aut quocunque quinquennii anno factum intelligatur. Rursum Thuani est. De *rerum statu optime instructus*, pro edoctus. *Per transennam* appellare, pro prætereundo, in transitu, ὡς ἐν παρόδῳ. Transenna Latinis nihil est aliud, quam funus extentus. Qui aliter accipiunt, sibi a mendoso Ciceronis loco turpiter imponi patiuntur. Is in primo de Orat, sic recte legitur: Petes a Crasso, ut illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco quasi prætereuntes strictim adspeximus, in lucem proferat, ac suo quidque loco collocet. Hic præ-

tereuntes valet illud ipſum, quod vulgo obiter dicunt, id eſt, aliud fieri agentes, & in transcurſu. Sic alio loco Cic. Nemo poteſt uno adſpectu neque præteriens in amorem incidere. Uno adſpectu & præteriens judicat. Quaſi præteriens ſatisfaciam univerſis. Hoc verbum prætereuntes ſciolus quisquam corrigere conatus fuit, ex eoque facere, pertranſeuntes, niſi tamen id oſcitanti librario inter ſcribendum excidiſſe putabimus. Utroque poſtea a conſecutis librariis in contextum recepto, ut eſſet ſic: quaſi pertranſeuntes, prætereuntes, ſtrictim adſpeximus: occaſio nata fuit Nonio, ſtolidiſſimæ pecudi, ſeu cui alii paris ſtuporis Grammatico, experiendi ingenii, cui indulgens, ex verbo pertranſeuntes, fecit per tranſennam; quod nullo nego-

negotio iis probavero, qui Nonium non prorsus ignorant, & librorum Ms. usum habent. In libello quidem meo de Arte Critica, quo loco de verbis supervacuis & glossis agitur, aliquot similium mendorum exempla ex veteribus Codd. notata Lector invenerit. Possevinus, quod se nihilo deteriore jure, quam superiores, esse oportere, non male persvasum haberet, partim nova verba, loquendique genera comminisci, partim ab aliis ficta in oratione adhibere, nequaquam religioni habuit. Hujus generis sunt p. 415. *Nullibi* pro nusquam. p. 828. *Improperare* alicui, pro exprobrare. p. 343. *Complices*, pro conscii, affines, participes, aut sceleri, vel crimini, ut Tacitus loquitur, connexi. p. 389. *Concivibus* pro, civibus. p. 799. *Impossibilium* cupitor. pag. 841. *Novitates Possevini.*

Vix

Vix *possibile* fuerit. p. 777. *Vicedux* Provinciæ. p. 653. *Vice Cancellaria*. p. 405. & 825. *Proficuus*, & *improficuus*. p.835. *Juramenta*. p. 797. *Præsidens* Mediolan. p. 85. & 550. *Ad minus*. p.30. *Indivisibilis*. p.720.& 723. *Desciscio*, pro defectio. p. 772. *Ægre agere*, pro, ægre ferre. p. 837. & 840. Alicui *satis agere*, pro, satis facere, p. 792. & 850. *Jacere initia alicujus* rei, pro principia, incipere, vel jacere fundamenta. pag. 833. *Subditi Principis*. p. 25. *Impar contra hostes*, pro impar hostibus. In quo haud scio, an Livii Epitomen l. 96. imitari voluerit: ubi est, Sertonius magnus Dux, & adversus duos Imperatores, sæpe par, frequentius victor. Sed in eo dispar est ratio. quemadmodum & in hoc Tullii post reditum. Superiorem esse contra improbos, minus est negotii,

quam

quam bonis exæquari. p. 803. *Collegati*, pro, fœderati, quia scilicet Itali pro fœdere legem dicunt. p. 835. *Venditionem cum* aliquo actitare. & Fœdera Vincentio Medio *actitata*. p. 836. *Immediate*. p. 840. *Indecet* majestatem Principis. Plinii minoris imitatione. p. 778. Victi potius quam *satii*, pro, saturi, p. 32. *alias*, pro alioqui. p. 791. *Præcessores*. p. 355. & 415. *Prædecessores*. p. 347. aliquem *sceleris reqvirere*, pro, de scelere appellare. p. 365. & 426. *Spontanus*. p. 372. *Dissitus*, pro, disjunctus, remotus. p. 402. *Mediator*, pro, sequester, peccator, interpres, internuncius, pararius, aut etiam medius, quod Propertio auctore, etsi πολιτικώτερον videri potest, alibi non male usurpat. p. 659. *medio* aliquo uti. Et p. 758. Uti *mediis* oportunis, quod etsi apud Apulejum

exstet,

exſtet, minime tamen probum eſt lib. 3. de aſino. Tunc in ancipiti periculo conſtituti, vel opprimendi noſtri, vel deſerendi ſocii: medium e re nata validum eo volente comminiſcimur. Quid autem pro eo Latine dici qveat, hinc diſcamus licet. Cic. Num tibi parva hæc videntur adjumenta & ſubſidia Conſulatus? id eſt, media ad conſequendum Conſulatum. Idem, homo multa inſtrumenta habet ad adipiſcendam ſapientiam. Hunc quaſi gradum quendam atque aditum ad cætera jactum. Habere oportunitatem ad negotium adminiſtrandum. pro, mediis non defici. Seneca. Contumeliarum patientia ingens inſtrumentum eſt ad tutelam regni, pro, optimum eſt medium. Idem, ſcio quæ via ad iſtum favorem ferat, malis artibus quæritur, pro,

qui-

quibus quis mediis favorem istum parare possit. Livius lib. 5. n. 29. Si tribunitia vis tribunitio auxilio repelli nequeat, aliud telum patres inventuros esse, pro, aliud medium. p. 417. *tenetur* cæteros exemplo prævenire, pro ejus munus, partesque sunt, exemplo esse cæteris. p. 408. *Innominato* Senatu, pro tacito, sive nulla Senatus mentione. p. 404. *Distractiones* difficiles, & morosæ ad annos; Ubi distractio pro venditione nove dicitur, nam ænea demum ætate distrahere, pro vendere dici cœptum arbitror. *Morosus* ad multos annos, pro, in quo multorum annorum mora sit, non admodum Latine. sunt & ista notæ non optimæ. p. 34. *Æmulatio Papæ cum* Imperatore, pro, Papæ & Imperatoris, aut, inter Papam & Imper. p. 664. *Nomi-*

nete-

netenus pavescere, pro, audito tantum nomine pavescere. p. 703. ostentandæ *gratitudinis* reus erat, pro, officium ejus erat, gratũ se exhibere. Reus est is cujus res in judicio agitur. Virgilius voti reum per figuram dicit, pro voti damnatum. Voce sc. antecedentis significat consequens. Prius enim est, ut quis reus fiat, quam ut damnetur. Apud Livium tamen l. 25. 30. lego: quo intentius custodiæ serventur, oportuna loca præfectis dividenda esse, ut suæ quisque partis tutandæ reus sit, pro quo vulgo dicimus, ut suam quisque partem tutare teneatur. p. 625. *Convalescentiam* dicit, confirmatam a morbo valetudinem, morbi depulsionem, ex morbo evasionem. p. 647. *Convicimus*. p. 651. *Primogenitus*, pro, filiorum natu maximus, sive, cum

Tacito, liberorum vetustissimus, aut cum Catullo, natum primævum. p. 652. *Alleviatio*, pro, levatio. p. 664. *Votum Ducis*, pro suffragium, aut, punctum. p. 642. *Exosa*. παθητικῶς dicit, pro, invisa & offensa, quomodo ante Agellium nemo locutus invenitur. Virg. pugnas exosa relinquo. Ubi Servius, exosus, & perosus de eo tantum, qui odit, dicitur. p. 771. Intra *propriam potentiam residere*, pro, domi suæ, ubi munitior sis, plusque possis. p. 778. Flagitium credebatur, *aliam forma circumferre*, pro, aliam formæ nomine prædicare, sive, formosam dicere. p. 778. *Dissimilitudine* sui usus urbem incognitus pererravit. Dissimilitudinem, pro, dissimulatione nove posuit. p. 395. ne apud exteros *circumferamus*, nimis severe animadvertisse, pro, ne passim insimu-

insimulemur, accusemur, aut differamur, sed Poetice, ut Prop. Et te circum omnes alias irata puellas, differet, id est, te infamabit, &, ut Plautus ait, maledictis aut pipulo te differt. Sermones quidem, & querelæ circumferuntur, non æque homines. etsi per figuram id dici non nego. p. 413. Sapientia *gnarum justi & exerciti* reddit. Et p. 646. *Leges justi & exerciti.* Ubi quid sit exercitum, ne ipsum quidem scire arbitror, neque tamen id iterum dicere dubitat. Legerat nimirum apud Tacitum suum Annali XV: Egnatius auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti & exerciti, cæterum animo perfidiosus, & subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Sed quomodo nobis purgabit, quod hoc Lipsii

moni-

monitum usque eo ſpreverit? Svadeo ſcribas, ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ex ſententiæ ductu. Exercitus, nimirum valet, exercitatus, & compoſitus.

Exempla Archaiſmi, ſive Obſoletorum verborum uſus.

OBſoleta, ut dixi, ſunt, quibus Romæ, cum puriſſime loquerentur, uti jam deſierant, quæ qui referre denuo, & in uſum velut poſtliminio inducere conatur, ſibi a Fabio dictum meminerit. l. 1. c. 6. *Abolita, atque abrogata retinere, inſolentiæ cujusdam eſt, & frivolæ in parvis jactantiæ.* Illud quidem omnes mihi aſſentient, ſpero, ſi quis hodie Italus, Germanus, aut Hiſpanus, ea patrii ſermonis verba conſectetur, quibus ſuperiorum ſæculorum homines uſi

Priſcorũ verborum Affectator. quo vitio laborent

Sunt hõines fatui. *Sallustius Affectator vetustatis.*

usi sunt, quæque nostræ ætatis consensus repudiavit, ac dimisit, eum nullo hominẽ judicio, imo nec capite satis incolumi omnibus visum iri. Merito igitur ætatis suæ homines *Sallustium* irriserunt, quod sæpius, quomodo locuti fuerant Romę, quam quomodo tum loquebantur, scribere, & si forte, loqui mallet. *Soluit* nempe elegantius ei visum est, quam solitus est: quod, aut fallor, aut Cicero, Cæsar, Brutus, Messalla, Sulpitius, Cæcina, Mutius, neque muliones, cocos, aut mediostinos suos impune dicere sivissent. Quod etiam de multis aliis judico, ut *famæ*, *famarum*, *famas*, pro, fama, famæ, famam. *Magnas vis*, pro, magnas vires. *Armis decoribus*, pro, decoris. *Senati*, pro Senatus, *Plebes*, pro, plebs. *Satias*, pro satietas, *Sallere*, pro, salire, *Secus*

virile, pro, ſexus virilis, *Paritas opes*, pro partas opes. *Calvi*, pro, decipi. *Claudere*, pro, claudicare. *Egere aliquam* rem, *ſupplicium*, pro, ſupplicatione. Vocatus eſt ad *imperandum*, pro, ad accipiendum imperium, ſive, ut ei imperaretur. Locus hoſtibus *ignarus*, pro, ignotus. Eadem Burdoſcaligeri in verſibus ſcribendis fuit inſania, velut hypobolimæi p. 201. exemplis aliquot docui. In proſa tamen oratione, hac culpa fere caret, niſi quod adverſus Titium ſcribit: Eſt interdum indignari ruſpantem quisquilias tuas. Poſſevinus etiam hac in parte judicio uſus eſt, ut priſcorum uſu ſibi interdiceret. Paucula tamen ei, opinor, imprudenti ſe ingeſſerunt. ut p. 30. *Tot ævitatibus*. Et p. 841. *Pinguitudine* nimia gravis, qua utraque Varronem auctorem habent.

Archaiſmi Burdoſcaligeri.

Poſſevini.

In

Thuani. In *Thuano* nihil hujus generis legere memini, quam quod hoc l. 17. Gvisius quasi parto triumpho *vitulabundus* in Galliam advolat. *Casauboni.* Casaubonus autem plusculum sibi indulsit, Documento sint ista. In præfat. Comment. Athenæi. Ne hoc Deus *sirit*. In Comm. pag. 11. *claudit* hic versus. p. 53. & 152. Ipsa experientia, quæ stultorum *cluit* magistra. pag. 142. *Horsum* traho Hermippi locum. p. 631. Inepti sumus, si in explicandis his *afaniis*, *operam nostram abutimur*. p. 581. *Fors fuat* in verbo illo error est. p. 374. Quæ Timæus de Aristotele *muginatus est*. Quæ autem sit verbi muginatus sententia, nec ipse fortassis expedire possit. Isidorus muginatur, explicat, causatur. Festus vero muginari ait esse, nugari, & quasi tarde conari. Cic. 16. ad Att. ep. 1.

De

De ocella dum tu muginaris, nec mihi quicquam reſcribis, cepi conſilium domeſticum. Nonius, inepte, ut ſolet, muginaris, interpretatur, murmuras. Quidni cunctaris, quod Feſti ſententiæ & magis conſentaneum? Plinius major in præfatione: Hoc profecto premio contenti, quod dum iſta, (ut ait M. Varro) muginamus, pluribus horis vivimus. Ita legit Joſ. Burdoſcaliger. vulgo *musinamur*: quod ego a muſis deductum, & idem valere ſuſpicabar, ac ſtudere, & Muſis operari. Ejuſdem Caſauboni eſt hoc in notis ad Theophr. characteres: Commentarium in hacce *Rutaba* abſolvi, quod qui volet intelligere, Nonium ſibi conſulendum ſciat. Lipſius denique in hac fuit hæreſi, ut niſi priſca ſubinde verba orationi insereret, omnem ſibi fa-

Lipſii affectatio, priſcorũ verborum

 cetiæ

cetiæ & elegantiæ famam perituram putaret. De multis pauca hic repræſentare placet. Cent. 1. ep. 23. Vare mi *Oculiſſime*. ep. 35. Vereor, ut dent *mage majores* tempeſtates. ep. 41. Vale, & *mutuiter* me ama. ep. 61. Non melius aut magis *propitium* expreſſeris. ep. 62. Quæſo hoc volens audi, a *volentiſſimo* tibi amico. ep. 82. Avus tuus, & avia valent, *tibi volunt, ſemperque volent*. ep. 52. Muretum a me ſalutabis, & animum *hunc illi firmabis volentem* ſemper ejus & amantem. Quæ cum Mureto oſtendit Benejus, quin genus hoc eloquentiæ, uterque albis, ut Plautus ait, dentibus multum deriſerint, dubium non habeo. ep. 8. Sine libris nulla legitima *ad ſapientiā exercitio* aut via. Et infra non longe. In Civitatibus eſt *confluges* vitiorum. Ibidem vinum vocat *ſuccum alibilem*.

bilemqne liquorem, quia nempe apud Varronem legerat, omniũ rerum liquentium, quas cibi cauſa capimus, lac maxime eſſe alibile. Et *dapes care præſtinare* a foro. ep. 22. Quem non *titillet varia ſpectio* gentium, urbium, locorum? ep. 81. Frigidis juvari imprime videor, ſed *crebra eorum uſio*, ſcis quam non ventriculi ex uſu. ep. 89. Cum fructu hæc *talia publicitus legi cenſeam*. Cent. 2. ep. 23. *Hilum non ego* deterior. Cent. 4. ep. 50. Cœpta *benevolentia non claudet*, ſi tu jam duplici illo pede fulcies, probitatis & doctrinæ. Ubi claudet, valet, claudicabit. Cent. 3. ep. 96. *Fabulamini aſſidue, muginamini*, & eſtis una, quando libet, quamdiu libet. Cent. 7. ep. 72. *Alumnum noſtrum fines Italiæ attigiſſe*, volupe mihi auditu eſt, quo genere ſæpius utitur. In prima primæ

Insigne exemplũ Archaismi Lipsiani.

centuriæ editione Epiſtolam me legere memini, ad victorem Giſelinum, niſi me animus fallit, ſcriptam, quæ in reliquis conſecutis editionibus non comparet, quod eam Lipſius, juſtam, opinor, ineptiæ reprehenſionem veritus, circumſcribendam ſibi duxerit. Ejus hoc erat principium. *Ajo Locutio tu lita, ego fidei ſtrenue.* Ajus Locutius a Romanis pro Deo habebatur, ab Ajo & loquor. ita dictus, quod vox ejus fuiſſet audita, quæ Gallorum adventum prædiceret. Litare eſt ſacrificio Deum piare, propitiare, ſeu placare. Jubet igitur Giſelinum Lipſius, Ajo Locutio litare, hoc eſt, loqui, ſive ſcribere, non diutius ſilere. Diu ſc. nihil ſcripſerat, & ſilentio ſuo Ajum Locutium offenderat. Lipſius contra fidei litaverat, ſtando promiſſis, id eſt, literis

ſcri-

ſcribendis, quod facturum ſe fidem dederat. Sententia igitur Oraculi illius Lipſiani hæc eſt: Tu ne diutius ſilueris, ego ſcribo, velut facturũ me receperã.

Et hic quidem noſtræ de Styli hiſtorici virtutibus diſſertationis modus eſto. in qua, ſi quam politioris literaturæ ſtudioſis operam navavimus, erit quod nos menſtrui laboris ea in re ſumpti haud quaquam pœniteat. Quod ſi autem alicubi alucinati eſſe, perperamque cenſoriam notionem exercuiſſe videbimur, minime moleſtum nobis erit, alieno beneficio doctiores fieri, quodque ſupra de nobis recepimus, minerval ei, qui aliquo nos errore liberaſſet, neutiquam defuturum, in eo ne fides noſtra accuſari queat, nec quis nos factum mutaſſe merito ſuſpicetur, operam ſedulo datam iri pollicemur.

De Natura Historiæ deque Historici Officio Dissertatiuncula.

Histor etymon. HIstoriæ nomen, ab ἱστορεῖν deductum est, quod scire seu novisse significat. Utque proprie & in genere Historia quævis notitia dicitur, per figuram postea significat, narrationem, quæ est partim effectum notitiæ, partim causa. Nam qvia quis novit aliquid, propterea narrat, & ideo narrat, ut cum aliis ejus notitiam communicet. Sic historia animalium, plantarum & Naturæ inscribuntur libri, qvi de animalibus, plantis, deque rebus naturalibus narrationem continét. Sed in specie, κατ᾽ ἐξοχὴν Historia dicitur, sive notitia, sive narratio, rerum ab hominibus gestarum, & de hac proprie *πολυσημία.*

hoc

hoc loco breviter disserere constitui.

Perfectam Historiæ definitionem ex omnibus ejus causis talem confici posse existimo. Historia est rerum gestarum & causarum propter quas, & per quas gestæ sunt, vera, libera, & malignitate vacans narratio, quid in vita maxime civili faciendum fugiendumque sit, sermone brevi, sed perspicuo & puro præmonstrans. Hac definitione officium historiæ cum rerum, tum verborum ratione, declaratur. Ratione rerum officium ejus est partim narrare, partim docere. Narrationis objectum, sive id quod narratur, sunt cum res gestæ, sive eventa, tum eventorum consilia, quæ sunt causæ impellentes, & agendi modus, qui est causa administra, seu instrumentalis. Cum enim ad docendum Histori-

Hist. defin.

Objecta.

ſtorici narratio dirigatur, ut ſcilicet ex præteritis judicium de futuris fieri, quidque homines facere fugereque debeant, alienis exemplis moniti diſcere queant, nequaquam ſatis eſt ea modo, quæ contigerunt, ſive geſta ſunt, exponere, (cujus generis narratio humani ingenii curioſitatem quidem paſcit; utilitatem vero adfert minimam.) Sed hoc amplius requiritur, ut quo conſilio quoque modo quidque geſtum fuerit, annotetur. Nam de ſimilibus ſimile judicium fieri verum eſt. Minime vero omnium ſimiles eſſe actiones poſſunt, niſi in conſilio & agendi modo earum convenientia apparet, quando non tam refert quid, quam quo propoſito, quaque ratione actum ſit. De his Hiſtoricæ narrationis ſubjectis Tacitus in principio Hiſtoriæ ſuæ hunc

in modum meminit: *Antequam destinata componam, repetendum videtur qualis status urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit? ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causæque noscantur.*

Narrationis Historicæ adjuncta sive requisita, aut necessariæ qualitates sunt, *veritas, Libertas*, & *humanitas*. Veritatis lex est, ne quid falsi audeat: Libertatis, ne quid veri non audeat, modo aliqua in eo utilitas vertatur. Illa mendacium excludit, hæc scriptoris ambitionem, sive, ut Tacitus interpretatur, assentandi libidinem, cum nimirum aut gratiæ aucupio, aut offensæ metu retinet, aut dissimulat, quod contigisse novit, quodque in annales ire, seu literis mandari ad exemplum *Hist. narrat. adjuncta.*

publice intereſſe intelligit. Nã quæ neque ullum, ſi ſciantur, lectoribus emolumentum afferre, neque rurſum ignorata damno eſſe poſſunt, ea Hiſtoricus ſilentio præterire non modo poteſt, ſed etiam debet. Philoſophi enim civilis ac moralis partes ſuſcepit, ut faciendorum & fugiendorum regulas ſive præcepta in Scholis Ethicis ac Politicis tradi ſolita exemplis confirmet. In quibus ergo nihil ad præceptorum illorum demonſtrationem ineſt momenti, iis ne in περιεργίας aut ἀδολεσχίας incurrat crimen, merito ſuperſederit. Sed ſeculis profutura, ne quem offendat, reticere ſine fœdo ſervitutis crimine nequaquam poteſt.

Abſit malignitas. Humanitas in Livoris ac malignitatis fuga ſpectatur, cũ videlicet Hiſtoricus hominem

eſſe

esse se meminit, quem æquum est mitem animum gerere, & modicis erroribus æquum, neque ex aliorum infamia voluptatem capere. Humanum est errare, humanum etiam ignoscere. Inhumanus ergo est, qui occulta clarorum virorum vitia, quæ præsertim scelere careant, publicare gaudet: qui quæ ad laudem alicujus magni viri, aut ad redimenda, sive excusanda ejus peccata pertinent, & ponere prætermittit, qui simulat se non credere, quæ in alios contumeliosa ideo narrat, ut credantur, qui gravissima, quæ impingit, crimina, leviculis laudationibus diluit, ac velut compensat, qui cum ipsum hominis factum vituperare non possit, vitiosam ejus causam de sua suspicione affert, sive qui agendi consilium & intentionem, (ut vocant) calumnia- *Notæ malignitatis.*

 tur,

tur, qui denique cum plures ſint de eodem rumores, cum ei benigniorem liceret amplecti, in deteriorem propendet, eumque literis prodere non dubitat. Hoc nigræ loliginis ſucco, & inhumano vereque diabolico livore, hac ætate non paucos imbutos videas, qui ducta de animo ſuo conjectura, nullam veram inter homines virtutem, ſed umbram modo, aut effigiem ejus inveniri perſvaſum habent, ac ſibi magnam judicii & prudentiæ opinionem hinc acceſſuram, certiſſima ſpe præcipiunt. Si maximorum virorum gloriæ obtrectent, ſi obſcuris, ac ſine auctore certo rumoribus ad nomen eorum collutulandum chartas ſuas inſigniant, ſi quicquid bono conſilio, & ex vera virtute geſtum videri queat, in ſiniſtram raptent partem, atque ambitioni,

avaritiæ, aut hypocriſi, ſive ſimulationi, aut auræ popularis aucupio aſſignent. Cornelio quidem Tacito palmam Hiſtoricorum non aliam ob cauſam Politicorum judicio hodie tribui intelligunt, niſi quia eadem via graſſatus fuerit, & omnia fere in pejorem partem interpretari, minimumq; veræ virtutis humano generi opinione ſua tribuere videatur. Ne ergo parum γνήσιοι, aut germani ejus diſcipuli, aut a tanti Politici & Hiſtorici diſciplina degeneraſſe judicentur, ſumma ope ſibi nitendum putant, ut omni humanitate exuta, nullius omnino virtutis opinionem humano generi relinquant. Digni profecto, qui in humanis non ſint, cum ſupina prorſus ἀδιαφορίᾳ, & indiſcriminatim tam male de hominibus exiſtiment. Hos ſi quis moneat, ut Chriſtianos

Tacit. malig.

ſe

ſe præbere, ac legi caritatis parere velint, de qua ſcribit S. Paulus 1. Cor. 13. eam benignam eſſe, nec cogitare malum, cui conſentiens Jacobus cap. 3. Sapientiam Chriſtianorum, quę de ſurſum eſt, ait eſſe ſvadibilem, plenamque miſericordia, nec judicare; illorum vero hominum ſapientiam, qui linguá aliorum cõvicio exercent, ac ſine manſvetudine judicant, eſſe terrenam, animalem, diabolicam. Sic ergo ſi quis eos moneat, nempe ſe, ſi lege charitatis uti velint, longe Tacito diſſimillimos judicatum iri, plerumque a judicii ac prudentiæ commendatione abfuturos defendent: niſi eos tamen animi habitum & ſententiam verbis promptam habere diſpudet. Neque tamen non longe diſpar eorum ac Taciti eſt ratio. Hic enim in tempora

Taciti imitator.

ſæva,

ſæva, omnique virtutum generi infenſiſſima inciderat, quibus cum totius orbis imperium ex unius, ejusque facile omniũ deterrimi nutu & arbitrio penderet, nullius innocentiæ receptus usquam terrarum daretur, minus mirandum eſt, ſi omnem prope virtutem terris exulaſſe credidit, & ſuſpicionibus de hominum factis ac dictis liberius indulſit: Sed iſti tempora deſcribunt, quæ bonos, malos, medios, ſive tolerabiles principes aliis atque aliis locis tulere, ſub quibus ſolum vertere, & vel fuga virtutem in tuto collocare liberum eſſet. Itaque viderint quam de noſtri temporis Principibus opinionem habeant, qui tantam ex Taciti lectione utilitatem capi hodie poſſe, præſtare non dubitant. Si enim quæras ex Tacito, quid ſit præcipuum libro-

Taciti lectio inutil. his tẽporibꝰ

librorum ejus argumentum ac tanquam totius scriptionis caput, de Annalibus quidem suis hoc modo profitentem audies: *Nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem, innocentiam, & eosdem exitu casus conjungimus, obvia rerum similitudine & satietate.* De historiarum vero libris hunc in modum: *opus aggredior plenum variis casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Quatuor Principes ferro interempti. Tria bella civilia, polluta ceremonia, magna adulteria, plenum exiliis mare, infecti cædibus scopuli. Atrocius in urbe sævitum. Nobilitas, opes, omissi, gestique honores pro crimine, & ob virtutes certissimum exitium. Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera. Odio & terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti, & quibus deerat inimicus, per amicos oppressi.*

Ratio I.

Nemi-

Neminem jam esse certus sum, quin longe aliam, & multis millibus præstabiliorem nostrorum temporum rationem esse agnoscat, nam neque ullus jam est inter Christianos populus, qui vel decimam ejusmodi sævitiæ, immanitatis partem in Principibus suis tolerare aut possit aut soleat, cum Principatus non ita regia manu administrari, sed multis legum morumque vinculis adstrictos teneri constet: & proclive negotium est, si cui Principis sui imperium intolerabilius videri incipiat, suæ saltem ac suorum saluti solo vertendo consulere, nec ad imitationem vitiorum, aut ad ultimam necessitatem devenire. Æquo igitur animo Taciti historia, & meris sævitiæ, fraudis, perfidiæ, & extremæ servitutis exemplis carere, tempusque meliorum & lætio- *Ratio II.*

lætiorum ſcriptorum lectioni impendere poſſumus. Quamvis autem idem ſe nonnulla etiam virtutum exempla annotaſſe præ ſe ferat: non eſt tamen, cur eorum cauſa noſtram Hiſtoria ejus lectionem mereatur. Verba ejus ſunt: *Non adeo virtutum ſterile ſeculum, ut non & bona exempla prodiderit. Comitatæ profugos liberos matres, ſecutæ maritos in exilio conjuges, propinqui audentes, conſtantes generi, contumax etiam adverſus tormenta ſervorum fides. Supremæ clarorum virorum neceſſitates, ipſa neceſſitas fortiter tolerata & laudatis antiquorũ mortibus pares exitus* Nimirum non aliam iſta virtutum a Tacito commemoraturum exempla utilitatem habent, quam ut matres amare diſcant liberos, uxores maritos, propinqui conſangvineos, generi ſoceros. Verum quoniam prope ſupervacua ejus eſt

Exempla Virtutũ ap. Tacit.

Vel ſunt ſupervacua

præ-

præceptio: cum ipſa duce natura illuc impellantur, minime neceſſaria eam in rem eſſe exempla conſequitur. Servorum exempla tinctis colore noctis Luſitanorum mancipiis uſui forte fuerint, non nobis Chriſtianis, præſertim Europæis, qui neque ſervi cujusquam ſumus, & ſervitiis haud æque utimur: etſi nec apud Luſitanos jus & mos ferat, ut de dominorum capite ſervi in quæſtionem rapiantur. Clarorum virorum pares antiquorum mortibus exitus, tantum abſunt ut exemplo nobis eſſe debeant, ut Chriſtianos nihil magis averſari omnibusq; votis deprecari conveniat. Eſt enim ἀυτοχειρία, ſive cædes propriis illata manibus non fortitudinis (quod Tacito viſum eſt) ſed deſperationis opus, & impatientiæ, quod contra ſpes & charitas omnia

Αὐτοχειρία.

ſuſti-

ſuſtinẽs ſimul cum fide ab Ethnicis ſeu Paganis Chriſtianos diſtingvit, quibus omnibus ſatis planum fieri arbitror, neq; vitiorum, neque virtutum nomine quicquam eſſe, cur Tacito cognoſcendo occupemur.

Taciti & imitatorũ diſpar ratio.

Eſt autem hac quoque in re longe alia Taciti ratio, atque eorum, de quorum malignitate dicere inſtitueram, quod nihil ille de fide noſtra, nihil de ſacramentis, eorumque uſu & efficacia, aut novit aut credidit; Iſti autem ignorare non poſſũt Chriſtianos per accenſum divinitus Fidei lumen adſpicere in remunerationem, ac ſacramentis uti ſolere, per quæ Deus hominibus gratiam, viribus humanis majora præſtandi impertitur, adeo ut Apoſtoli verbis gloriari de ſe poſſint: *Omnia poſſum in eo qui me confortat. Ex Deo eſt ſufficientia noſtra, qui in*

nobis

nobis operatur & velle & perficere. Talis fuit Moyſes, de quo ſcribit Apoſtolus: fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias exiſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: adſpiciebat enim in remuneratioñe. Hæc qui credunt, non ita temere ſuſpicionibus indulgent, neque actionum, quas reprehendere non audent, conſilia ſequius interpretantur, cum præſertim de Chriſtianis verba faciunt, quos gratiæ divinæ per ſacramenta participes factos, aliquid quam gẽtiles illos præclarius præſtare poſſe ſine ulla crudelitatis, aut ſimplicitatis nota recte ſtatuunt. Qui aliter faciunt, illos vere Atheos ſive impios eſſe, deque Chriſtiana

reli-

religione & ſacramentorum efficacia nihilo plus quam Tacitum aut ſcire aut credere, provideque merito ad Fidei Quæſitorum tribunal, obtorto collo rapi, nemo intelligens opinor volet intercedere. Verum nihil fortaſſe id genus argumentis eorum cacoëthes ac judiciorum malignitatem confutari attinet, cum vel monente gentili Philoſopho, quantum humanitatis curam gerere Hiſtoricus debeat, diſcere potuerint. Is eſt Plutarchus, cujus hanc in rem in Ciceronis vita ſententiam legimus: Cum arduum ſit, vel potius fieri non poſſit, ullius hominis vitam oſtendere, quæ omni vacet macula, ac pura ſit, recitandis honeſtis veritati ſatisfieri debet. Offenſas autem & vitia, quæ ex aliquo animi motu, aut ex temporibus Reip. actionibus in-

Humanitas hiſtorici.

intercurrunt, pro claudicatio- „
nibus potius alicujus virtutis, „
quam pro improbitate habere, „
neque in ſcribendo nimis dili- „
genter, & ad amuſſim explica- „
re, ſed veluti rubore ſortis hu- „
manæ ſuffundi debemus, quæ „
nihil boni ſincerum, neque mo- „
res ad virtutẽ edat, omnis cul- „
pæ expertes. Idem graviſſimus Philoſophus in eo libro, quo malignum Herodoti ingenium detegere habuit propoſitum, cum alias, tum has etiam malignitatis notas exponit: *In hiſtorico.*

Notæ malignitatis I.

Quartum ſignum pono ingenii in Hiſtoria ſcribenda parum æqui, cum duo vel plures una de re ſermones ferantur, deteriorem amplecti. Debet enim qui hiſtoriam ſcribit, quæ vera ſcit, ſcribere, de incertis „
meliora potius, quam pejora „
prodere. Graves quidem & „
candidi ſcriptores, quæ & pejo- „
ra

» ra & incerta ſunt, omnino præ-
2. » termittunt. *Porro* de rebus quas
» geſtas conſtat, cauſa vero & in-
» ſtitutū actionis in obſcuro eſt,
» malignus eſt & iniqvus, qui in
» deteriorem partem conjectu-
» ras facit. Qui autem præclaris
» & laudabilibus factis atque re-
» bus cauſam ſubjiciunt vitioſam,
» & cum factum ipſum palam
» vituperare non poſſint, de la-
» tente ejus, qui rem geſſit, conſi-
» lio ſiniſtras calumniando ſuſpi-
» ciones inducunt, hos liquet ad
» ſummam invidentiam, & ma-
» lignitatem nihil ſibi feciſſe re-
3. » liqvum. *Etiam* in modo agen-
» di narratio Hiſtorica maligni-
» tatem admittit, ut ſi quis dica-
» tur pecunia, non virtute rem
» confeciſſe, ſi nullo labore &
» facile, ſi non prudentia, ſed fa-
4. » cilitate. *Maligni* etiam ſunt, qui
» oblique, & quaſi ex occulto ca-
» lumniis tanquam ſagittis impe-

tunt, deinde pedem referunt, »
eoque ſe velant, quod non cre- »
dere ſe dicant, quæ omnino cre- »
di volunt. Quibus *affines* ſunt, » 5.
qui vituperationibus lauda- »
tiones aliquas apponunt levi- »
culas, ut quæ vituperandi cau- »
ſa dicta ſunt, fidem facilius in- »
veniant. »

De narratione Hiſtorica ejusque cum objecto, tum adjunctis ſive requiſitis ſatis dictum eſt, ſequitur ut de doctrina Hiſtoriæ videamus, quid nimirum, quo conſilio ſeu fine ac ſcopo, quibus adjumentis ſive inſtrumentis, quo denique modo docere debeat. Tradit igitur Hiſtoricus faciendorum exempla, eoque conſilio, ut quid in vita agenda, ſed maxime quid in Rep. pacis ac belli tempore adminiſtranda fieri, quidque cavere oporteat, in aliorum vitam actiones & eventa,

Doctrina hiſtor.

Ejus objectum.

Finis.

velut in ſpeculum intuentes diſcant. Nimirum cui, quod
Inſtrũ. docend. factum & gloriam & emolumentum attuliſſe diſcimus, eum
Laus & probrum. imitari ſtudemus; quem vero facti alicujus cauſa aut damno affectum, aut Hiſtorici ſtilo vapulare, ſive infamari videmus, ab ejus ſimilitudine removere nos conamur. Ex quo præclare, prudenterque factis laudem ab Hiſtorico impertiendam, ſceleribus vero & actionibus ſtolide nulloque conſilio ſuſceptis notam inurendam, ſive maculam adſpergendam eſſe quivis intelligit: quando laudis ſpe generoſos animos ad virtutis ſtudium inflammari; a vitiorum vero imitatione, infamiæ metu deterreri conſtat. Præcipuum (ait Tacitus) annalium munus reor, ne virtutes ſileantur, utque pravis di-

ctis,

ctis, factisque ex posteritate & infamia metus sit.

Modus autem docendi is esse debet, ut neque nimis diffuse lateque, neque rursum nimis arte conciseque quid fieri aut soleat, aut debeat, moneatur. Illud enim Philosophi videtur ex professo præcipientis, hoc autem torquet ingenia, ut fructum, qui ex historia quæritur, aut desperet Lector (præsertim qui sit vel occupatior, vel minus acutus) aut tardius certe laboriosiusque percipiat. Doctrina igitur Historici γνωμικὴ sententiosa, seu sententiis instructa esse solet, quod sententia sit generalis (ut ajunt) oratio, ea, quæ sunt in vita, aut esse debent, breviter enuncians. Talis oratio historicum velut vitæ magistrum decet, modo ne faciat brevitas, ut quæ sententia esse

Doctrinæ historicæ adjunctum.

Sententiarũ usus.

debet, fiat oraculum ex Apollinis tripode redditum, quod ut intelligas, ſudes multum, ac fortaſſe etiam fruſtra labores. Ita conciſæ & obſcuræ ſunt plæræque Taciti ſententiæ, Salluſtii vero liquidiores etiam plus aliquanto Livii. Unus Latinorum eſt Q. Curtius, cujus ſententiæ nec nimis diffunduntur, aut diffluunt, nec nimis in arctum compactæ, aut conſtrictæ negotium lectoribus faceſſunt.

Curtii laus.

Hiſtor. officiũ ratione verborum

Ratione verborum ſive dictionis, aut ſtili, perſpicuitatem & puritatem præſtare debet Hiſtoricus, ut intelligatur, & libenter legatur. Obſcuritas enim, res, quæ narrantur, tanquam velo obducit, & intelligentiæ lectorum ſubtrahit, quo nihil magis fini illi adverſatur, quem Hiſtoricus habet propoſitum, qui eſt lucem rebus affer-

Fuga obſcuritatis

ferre, & salutaribus exemplis atque monitis lectorem instruere, ex quo & *lux temporum ac vitæ magistra* a Tullio historia dicitur. Impuritas etiam & lutulentus sermo minime est idoneus illustrandæ illorum gloriæ, quorum res præclare gestæ narrantur. Usu enim venit, ut res una cum ipsis verbis contemnantur non aliter, quam vel quæsitissimas epulas in lancibus unctis & immundis antepositas, etiam qui sit famelicus aspernari ac fastidire solet. Sicut igitur cui propositum est convivio hospites accipere, valde præpostere, & inhumaniter faceret, si edulia quamvis lautissima in patinis partim opertis & obsignatis, partim lutulentis, sordidisque apponeret: siquidem ea re fieret, ut convivæ cibis vesci vel non possent, vel minus vellent: non

Fuga impuritatis

aliter multa ratione facere censendus est, si quis Historiam scribere professus, obscuro & barbaro inquinatoque loquendi genere utitur, eoque modo lectores a sui lectione deterret. Sed quoniam de utraque styli Historici virtute peculiari volumine distincte disputavi, nihil me hic de iisdem verbosiorem esse attinet: tantum definitionem Historici ex iis, quæ adhuc disserui, suppingam, quá ad exemplum Catonis Censorii Oratorem definientis effinxisse me fatear: sicut enim illi: *Orator est vir bonus dicendi peritus*; similiter mihi *Historicus est vir bonus res gestas cum suis caussis, ac modis vere, libere & humaniter, sermone perspicuo puroque, ex usu publico narrandi peritus.* Virum *bonum* esse oportet, quoniam agendæ vitæ magister esse, ac suam cuique recte factis laudem,

dem, ſceleribus probrum tribuere debet, quod niſi a viro bono, ne quicquam expectes. *Vere* narret neceſſe eſt, ne non hiſtoria ejus ſit narratio, ſed mendacium, fabula, aut ſaltem parabola. *Libere*, ne ſervili metu, quod ſciri publice intereſt muſſet aut reticeat. *Humane* ac ſine malignitate, ne pro Hiſtoria det Satyram, aut libellum famoſum. Ex *uſu publico*, ne in frivolis, quorumque nullus ad vitam recte inſtituendam, & ad res pace & bello gerendas uſus eſt, narratio occupetur; nec rurſum quæ talem habent utilitatem, prætermittantur. *Sermonem* oportet eſſe *perſpicuum*, ut facile intelligantur, quæ narrat ac monet. *Purũ* vero ut lectores alliciat, ſaltem non abſterreat, ſive ut libenter legatur. Cujus igitur narrationem talem eſſe non videris, eum Hiſtorici no-

men nequaquam mereri secunda omnium intelligentium voluntate judicabis, sicut neque versificatori nomen Poetę convenit, quamvis ille quicquid libeat *pedibus concludere senis*, (ut Horatius ait) *aut ducentos ante cibum versus, totidem cœnatus dictare noverit.*

Syno-

- *Historiæ* officiũ, [r]atione
  - *Rerum*, est partim
    - *Narrare*, cujus Narrationis.
      - *Objectum*, sive ad quod narratur, sunt
        - *Eventa*, sive ea, quæ contigerunt, sive res gestæ.
        - *Causæ.*
          - *Impulsivæ*, seu finales, id est, Consilia.
          - *Instrumentales*, ut Agendi modus ac ratio.
      - *Adjuncta*, sive requisita, aut qualitates necessariæ.
        - *Veritas*, ne quid falsi audeat.
        - *Libertas*, ne quid veri non audeat, sive, ne quid reticeat, quod sciri publice interest.
        - *Humanitas*, sive fuga malignitatis.
          - Ne publicet occulta clarorum virorum vitia, quæ præsertim scelere carent.
          - Ne omittat, quæ ad eorum excusationem aut laudem pertinent.
          - Ne facti per se laudabilis vitiosam causam afferat, sive ne intentionem calumnietur.
          - Ne simulet se non credere, quæ ideo narrat, ut credantur.
          - Ne ex pluribus rumoribus deteriorem amplectatur.
          - Ne vituperationes leviculis laudationibus diluat.
    - *Docere*, cujus doctrina.
      - *Objectum*, sive id quod historia docet, sunt exẽpla.
        - *Faciendi.*
        - *Fugiendi.*
      - *Causæ.*
        - *Finalis*, propter quam docet.
          - *Imitatio* eorum quæ recte prudenterque facta sunt.
          - *Fuga* eorum, quæ improbe & imprudenter facta sunt.
        - *Instrumentalis*, per quam docet.
          - *Laudatio* virtutis, aut recte factorum.
          - *Vituperatio*, & infamia scelerum.
      - Adjunctũ, sive *Qualitas*, Qualis nempe Historici doctrina esse debeat.
        - *Negative*, quod non sit ejus adjunctum, sive Qvalis non esse debeat. Ubertas non est ejus adjunctum, quia Philosopho, non Historico convenit. Historicus non debet copiose & diffuse instar Politici, aut Ethici Philosophi de recte & male factis differere.
        - *Affirmative*, quod sit verum ejus adjunctum, nempe brevitas, & quidem Sententiosa, sic tamen, ut Sententiæ non sint obscuræ instar ...
  - *Verborum*, sive styli, est, uti sermone.
    - *Perspicuo*, non obscuro, ut facile intelligatur.
    - *Puro*, non inquinato aut barbaro, ut libenter ...

Scioni
Infinita
Fenini

Dialogo
Historico
et
De Naturæ
Historiæ
et Historici
officio.
144


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm